Copiese la portada

M.S. 4.º pasta con 228 hojas sin foliar bien tratado, ~~[illegible]~~

R = Elementa Philosoph. T. 2.º

Elementa Philosophiae è Philosophorum cum veterum, tum novorum Scriptis collecta, pars tertia quo Metaphisica continentur.

Prelocutio.

Per sępe mihi, et plurimum meditanti, quonam pacto esse possent utilitati quam plurimis, nec quod tempus intermitterem reipublicę benefacere; nullum nec appositius nec honestius occurrebat, quam si sapientię vias adolescentibus traderem: quod per multis jam libellis me arbitror perstucitisse. Nam et Latini Grammaticeis, Rethoricesque precepta, ut optime potuimus, non semel, unove codice, sed compluribus ac sępius iteratis ostendimus; et orationibus nonnullis ad philosophię studium enixe cohortati, quod philosophandi genus minimo quidem Hispanię nostrę placeret,

sed quod maxime necessarium, et nosmet ipsi, et Regis nostri, ac concilii omnes, et sapiens ipse Carolus III, et genus omnis, et natio, et civitas, et sapientissimus quisque arbitraretur, expressimus. Cumque totius philosophiæ vrbis quasi janua sit disserendi ratio, vera veri, falsique recte judicandi cognitio, quæ Logicæ dicitur; pertractata illa est à nobis, dum in vita adhuc essemus privata, duodecim libri, eo scilicet cogitantes, ut regula, quā vera, et falsa judicarentur extaret; et quæ quibus positis, quæque non sint consequentia intelligi posse. Quatuor subsecuti sunt libri, eandem complexi locum, quos preceptor jam Academiā renuntiatus, vobis, Amici, dictavimus, brevi de historia, sectisque philosophicis oratione premissa: qui sane locus ut plene esset cumulateque perfectus, disputationes aliquas

eo libelo postscripsimus, qui Logica inscriptus est. Duo statim consecuti libri fracmentorum Matheseos, seu, ad naturę scientiam aditum patefacientes, aperuerunt. Primus etenim Arihmetica precipua complectitur; Geometrica deinde cum Trigonometricis alter. Post hęc autem edita, sex libri perfecti sunt de Rerum natura naturaliumve quęstionum, quibus precipuam omnem ejus loci inquisitionem sic voluimus institutam, ut non modo quid quisque dixerit; sed etiam quid adversus quemque Phisicum diceretur, mihique vero similius videretur, esponerem. Nunc autem Methaphisicam ingredimur his libris scribere: quibus quidem omnibus (ut est in animo) de moribus, et officiis si adjunxerimus, erit affatim toti philosophiæ satis factum.

Ad hoc mira animi alacritate

tendimus, nullum philosophię locum preteri-
re parati, nisi quis vehementior Restatus
obsistet. Qui enim de Academia Reque publi-
ca melius mereri possumus, quam si adoles-
centiam ad veram, utilemque philosophiam
informemus? his presertim temporibus, qui-
bus eo in hispania prolabsę sunt scientię,
ut non scientię, sed tricae, non demonstratio-
nes, sed lites, non disputationes tandem fruc-
tuosęque quęstiones; sed contentiones immen-
sę de Rebus extra scientias positis magnam
partem dicendę sunt.

Neque vero id fieri posse confido,
quod nec postulo quidem, ut ab omnibus sus-
cepti laboris mei, et operis Ratio probetur. Nam
nec ea sentimus, quę probentur in vulgus phi-
losophorum; et certe scimus, quę sunt a nobis
scripta si palam ea proferentur, multos fore

qui vitiligitent, ut olim de se me ipso Plinius ajebat. Pauci utinam! sed ut sint quidem paucissimi nulli certè non erunt. Equidem vobis fructum mearum lucubrationum capio, adolescentes quibus tam sunt, quæcumque scripsimus probatissima, ut in illis planè conquiescatur. Macti ergo fidelitate, juvenes, estote, macti constantia: ut studio elegendi, et discendi vestro meum scribendi docendique studium validius in dies incitetur. Magnificum illud etiam hominibusque nostris gloriosum, ut non Gallicis de philosophia litteris egeant, non Germanicis, non Italis, aut Britannicis: ad quod meditati sunt, nituntu[r]que labores mei: an id etiam sim assecutus, postquam instituta perfecero judicetur. Dabitis itaque mihi veniam, mei juvenes, vel gratiam potius habebitis quod mihi obtrectarent malevoli, et ignari philosophia homines scriptaque mea maledico dente

8

carperent; neque docere, aut scribere supersederet neque vos me ipsos deseruerim, neque ipsa me gesserim, quasi hominibus, moribus, temporibusque irateus. Quin imo ad hæc omnia linguam mihi obmutuisse scitis, et manum obtorpuisse, toto corpore, atque omnibus, ut dicitur, ungulis, in profectum atque utilitatem vestram intento.

Sed dum istius modi philosophi, quos ego locutulejos dicerem, blaterones, linguaces, et maledicos garrire pergunt nos ad munus pensumque nostrum revocemus. Et cum de Metaphisicis scribere cæperimus, tribuenda ei est opera: imo omnis potius in ea cogitatio, et cura locanda. Tantum alii studio relinquetur, quantum adjicies principis philosophiæ partis studio vacabit. Nam enim earum rerum est Metaphisica quæ sensibus accipiuntur: quæ cernere, audire gustare, odorari, vel tangere valeamus. Neque rerum initia, equibus nascuntur omnia vestigat. Phisicorum est ita sapientia. Nec in numerus seu magnitu

dine versatur: sunt enim hęc Mathematico rum non Metaphisicę studiosorum. Neque vero consulitur Metaphisicus, quid bonum sit, quid malum, quid neutrum. Ad Ethicam hę vel Moralem, non ad Metaphisicam referuntur. Eadem in Dialecticis ratio est. Qui namque rite perci pere, judicareve aveant non à Methaphisicis sed à Logicis horum tractationem accipiunt.

Quod si nec harum rerum, quę sub sensu scadere possunt Metaphisica est, nec earum, quę sunt imaginationi subjectę; nec earum quę morum scientia continentur; nec earum, quę in Dialectica disseruntur; quarum rerum sit, quare materies ipsi danda, in qua versetur, audienti eritis cupidissimi; Quibus ut faciam satis, rerum omnium esse respondeo: nec locum inveniri posse aliquem, aut materiam cui Metaphisicam pręficere, quodammodo nequeamus. Huc enim res omnis pertinet, seu corporata illa sit, sive incorporea, animans, vel inanimans, bruta, rationisque particeps, finita, et interminata. Hinc

scientia omnis, quasi è fonte communi suarum demonstrationum fundamenta derivat. Ipsas tandem Rerum omnium æternarum factarum, eusque potentium causas, et Rationes maximè generales complectitur; interioremque atque, ut ajunt, intelligibilem ipsarum ordinem, leges, et regulas perscrutatur.

Ita relinquitur, ut cum omnia animo et ratione lustraverimus, scientiarum omnium nulla sit invenienda nobilior, nulla sublimior, quam ea quę dicitur Metaphisica. Utilis quidem est dialectica, naturę scientia fructuosa, Arithmetica, Geometria, disciplinę demum reliquę Mathematicę; sed omnes omnium utilitates Metaphisica una complexa est, quippe quę omnibus principia è quibus suas eruant conclusiones, suppeditat. Ita etiam fit, ut ea non cęterarum modo, philosophię humanęve sapientię, partium summam, et nobilissimam; verum etiam Generalem, primamve sapientiam, aut philosophiam, cui scientię reliquę famulantur

dicere debeamus. In quam quis dubitet curam omnem, et operam et tempus impendere; modo ei sit chara, et antiqua sapientia, à cujus amore, philosophus, ut intellexistis nomen invenit. Quo reprehensione dignior illorum est inscientia, qui Metaphisicis pretermissis ad disciplinas alias, maxime Jurisprudentiam, et Theologiam convolant perdiscendas. Videte igitur, ne ab illis sumatis exemplum, quibus nulli certè alii sunt risu, vel dolore potius digni majore: sed esse philosophos, ut vos jam usque ab ingressu in Academiam vestro prestitistis perseverate.

Ac Methaphisicam, quidem si stare placeat verbo, scientiam interpretemini phisica sublimiorem. Est namque Grecè Meta, non id modo, quod latinè post dicitur, sed etiam quod trans vel supra: etsi qua sunt generis ejusdem, ex quo patet materiam illi subjectam res esse omnes, ab omni materia sejunctas, sive re naturâque suâ, ut Deus, Angeli, humanę mentes, cuncta denique spiritualia; seu cogitatione, generalibusque ideis

quibus sic corporata quæque à corporalitate, ut ita dixerim, separantur, ut quæ de illis ostendimus, vel demonstramus, ea sint illis cum rebus in corporeis plane communia.

Quocirca probe mihi ea definiri videtur, cum esse dicitur Metaphisica speculativa earum scientia, quibus aut re nullum est, aut est quidem re vera, sed cogitatione tamen adimitur, omne cum materia comercium. Quod est quidem causæ philosophis, ut Methaphisicam bipartiam. Ut altera ejus pars Ontologia dicatur, quæ circa ens omne, ut ipsi loquuntur, quatenus est ens, sive in omni eo, quod est esse ve potest tota versetur, et Pneumatologiam, quæ in mentibus spiritibus ve tota est cognoscendis quoad mentis nostræ acies fert.

De utraque primi disseruisse videntur, Phytagoras, Eleaticique precipui, quos secuti sunt deinde Platonici, Aristotelei, Stoici. Atque è Platonicis Eximius ille Philosophus, idemque summus

orator Marcus Tullius Cicero, omnium etiam Eclesiæ Doctorum et Patrum alter Augustinus hæc de re ipsa neve pauca, neve lectu indigna tradidere. Aristotelis tredecim, vel si audiendi sint aliqui, quatordecim exstant Metaphisicorum libelli, quos etsi Arabes, aliique philosophi tam faciant maximi, ut præ illis nullos alios Metaphisicos putent; sunt tamen uno reliquorum ore philosophorum imperfectissimi; quippe in quibus vix quidquam reperiatur, quod redoleat Metaphisicam.

At de Metaphisicis quidem Peripateticis ejusmodi se res habet, ut si de veteribus Alexander, Aphrodiceus, Petrus Pomponacius, Themistius, Censorinus, nescio que an unus etiam, vel alter; de recentioribus vero Doctores, Angelicus, Subtilis, Eximius, aliique perpauculi existimantur: cæteri nulla fere sunt lectione dignandi

Post renatas autem litteras, multos edidit Gallia Metaphisicos, plures Germania, Anglia innumerabiles. Gallici quidem sunt Car-

tesius, ejusque doctissimi sectatores Silvanus Regis, Clauberghius, acutissimusque Malebranchius, nominatissimi reliquorum. Volfius autem Leibnitiusque Germanici. Angli demum Franciscus Vacus, Enricus Morus, Parcherus, Lokius, KlarKius. His preterea accedunt nonnulli, aliquanto juniores, qui Metaphisicas institutiones dedere, ut Corsinus, Fumingius, Purchotius, Fortunatus à Brixia, egregiusque Antonius Genuensis utiles quidem, atque per doctas, non tamen Academicis, opinor, satis accomodatas: quod per mihi mirum visum est, cum ea fere omnium mens fuerit, ut suę de Metaphisica inscriptiones adolecentibus Academicis inservirent. At ejusmodi quidem illę sunt omnes; ut in quibus Methaphisicę nihil desideratur, iis commoda institutionum brebitas certe deficiat.

Nos igitur apum more, quę huc illuc divagantes, flosculos, seu in quibus mens inest,

ut quibusdam placet, sive qui conficiendo meli sunt apti, delibant; indeque alvearia repetentes, quidquid subvere, evomunt, perque favos, aut cellulas ordine plane mixo disponunt: è Metaphisicorum monumentis omnium in quę incidimus, ea carpere, aut aucupari conabimur, quę ad nostrum sint opusculum perficiendum idonea.

De divisione autem ejus et ordine hęc habeo premonere. Duas esse summas loci ejusmodi partes, quibus totus ipse contentus est, Ontologiam, et Pneumatologiam, ut nobilissimorum vestigia philosophorum premamus. Nam etsi incredibilis est Doctorum varietas in constituenda Methaphisicus disciplinis materia, sic ut alii plura, alii pauciora, alii alia ad illam pertinere contendant; precipuus tamen ex iisque philosophia omnium optime meritis obsequi volumus, quibus duplex illa tractatio Methaphisicae propia esse atque Metaphisicam integrare videtur, et prima quidem Metaphi

sica dicitur generalis, cum per substantias ser pat omnes ac modos, per æterna perfecta, per infecta, per omnia denique possibilia. Est namque Ontologia ejus, quod vel est, vel potest saltem esse, vera certa, et perspicua cognitio; quare tam longè, tamque latè patet, ac funditus, ut nec longius nec latius patere fundive possit. Altera particularis Metaphisicæ nomen accipito, quippe cum ad omnia et singula mentium genera pertineat. Hujus erunt tres partes omnino, Theologia Demonologia, Psychologia, seu, quod tendit eodem de Deo, de Geniis hoc est probis, et improbis Angelis, de humana denique mente doctrina. Quæ, cum ita sint Metaphisicæ nostræ libri quatuor esse debebunt. Primus scilicet Ontologica, alter Theologia, Demonologia tertius, ultimus Psichologia. quintum de

peccorum animis dolorem incorporeis etsi rationis expertibus nisi in Phisicis sermonem de illis longissimum habuissem.

Metaphisicæ Liber Primus
Ontologia.
Præfatio.

Ontologiam igitur cum ea ab ontos, entis, et logia hoc est sermo vel ratio ducatur; scientiam definiunt plurimi entis, et affectionum ejus omnium generalium explicatricem. Entis autem nomine id omne intelligi volunt, quod existit, aut potest existere vel substantia sit illud vel modus, aut accidens. Ac cum entis vocabulum existentiam, et Græco et Latino sermone significet; optime is meo quidem judicio faceret, qui ad ea tantum quæ sunt, exprimenda illud adhiberet, amplissimam illam rerum cum existentium, tum esse potentium significationem rei verbo affigeret. Id profecto nemo unus ibit infitias Latine scientium, rem esse Latinitatis nullam rei voce generaliorum, eaque ipsa, non quæ sunt modo, verum etiam quæ esse queunt omnia, à Latinis ævo op-

timi omnibus indicari. Quapropter non entis, sed Rei scientia mihi est prima Methaphisicę pars, Generalisve Methaphisica, quę vulgo dicitur Ontologica. At quoniam hęc non in re, sed in verbo sunt posita; in sua per me licet opinione quisque persistat: modo ab omnibus teneatur, quidquid est, essere potest, ad Ontologicam pertinere. Atque hę de Ontologica vocabulo, et definitioneis sint satis: veniamus ad munera.

Sunt illa duo solummodo. Nam et voces hic explicandę sunt singulę quę ad scientiam pertinent universam, ne ambiguitate nominis aliquis erretur; quin imo ut, omni de medio obscuritate, et confusione sublata, rei partes cujusque separatę, direretęque abstractionis auxilio cernantur, totaque Res ipsa, et integra, quoad licet homini, perspiciatur: et si qua e vocum definitione principia, veritates, axiomata duci possunt; ea tamquam normę ac Regulę certissimę statuuntur, ad quas cognitio quęvis dirigen

da sit nostra, et unde, seu è veritatum fonte multarum, alia et alia utilia, vera, firma, dilucidaque cogitata, in singulis disciplinis, et artibus hauriamus. Nam ut primas suas, sibi tantum proprias, scientia omnis veritates principiave habet, unde sui generis consecutiones emanant; sic eas complectitur Ontologia, quę ad omnes prorsus pertinent disciplinas, et à quibus cęterarum principia, et pronuntiata scientiarum proficiscuntur.

Primas autem dicimus veritates propositiones ita perspicuas, ita notas, ut dilucidioribus aliis, vel notioribus, nec probari quidem possint, nec improbari. Ex quo perspicuum illud esse perspicitur, quod à plurimis dicitur recentioribus, Ontologiam ē quaddam esse quasi lexicon philosophicum, ex quo in reliquis disciplinis facilius, ac tutius philosophari possimus. Verius attamen Ontologia scientiarum omnium prolegomenon, hoc est, prefatio, seu prelocutio, nec quis

dem sententia diceretur. Non enim solam illam vocum, quod est quidem lexici, significationem adducit; sed et rationes adjicit multas, et principia constituit, et leges fert aliquas, aut normas, ut recte uti vocabulis suis illis amplissimis valeamus. Neque vero illorum sententia non placet, qui Ontologiam appellant Logicæ appendiculam: voces enim, principiaque artibus cunctis, et scientiis communia exponens, atque constituens; viam præscribit, et modum, quo Dialecticæ præceptiones ad reliquas disciplinas facilius, et planius aptentur. Habetis de munere: de distributione, atque ordine habetote.

Erunt autem septem Generalis nostræ capita Metaphisicæ. Primum enim de entis, ut ajunt, univocatione erit, de que possibilis, impossibilis, futuris, necessarii, contingentis, mutabilis, immutabilisque notionibus. Alterum de notione subjecti, adjuncti, substantiæ, accidentis, qualitatis, modi, essentialis, attributi, essentiæ, naturæ, poten

tiæ rationisque sufficientis. Tertium sibi, providentiæ quæ casusque notiones exponet. Quartum identitatis, diversitatis, distintionis unitatis, perrone suppositi. Quintum preterea perfectionis veritatis, bonitatis, similitudinis, dissimilitudinis ordinis, pulchritudinis. Sextum postulata quædam et axiomata Metaphisica complectetur. Postremum firmam propositionum Ontologiæ principum probationem.

Caput Primum.

De Entis ut dici assolet univocatione, deque possibilis, impossibilis, futuri, necessarii, contingentis, mutabilisque, et immutabilis notionibus.

Age vero inter Metaphisicos, presertim scolasticos quæri solet, num entis attributum Deo, et creatis rebus, substantiæ item atque accidenti modove propie, univoce, et, ut loquuntur synonime sit conveniens; an impropie tantum reliquis rebus congruat preter Deum; similiterque modus vel accidentibus, cum substantiis comparatis. Qui

negant, ut et scolasticorum multi, et aliqui recentiores, multa quidem argumenta congerunt cum ratione, tum testimoniis Sacrorum inprimis Bibliorum; sed omnia tamen eo tendunt, ut Deus natura ipse suā sit ens ipsum simpliciter necessarium nullius indigens, ex nullo pendens, infinitus ipsa denique entis plenitudo realitas, veritas, cętera contra entis tantum umbra, vestigiumque levissimum. Quin etiam id non a semetipsis haberet, sed ab ipso Deo, cujus egent auxilio, e quo pendent omnino, cuique collata, ut Deus apud Isaiam ipse fatetur, quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputata sunt ei. (cap. 40. v 17.) Ex quibus perspicuum esse ajunt Deum longe aliter esse ac cętera. Propterea solum ipsum esse proprie; quę vero ipse non sunt, improprie solummodo, et, ut dicitur analogice.

Pariter de substantia, et accidente vel modo, ne multis philosophantur: cum dissimiliter entis rationem participent. Substantia etenim

per se ipsa est, nullumque ad ullum subjectum ordi
nem habent; secus modus vel accidens, qui cum sub
stantię qua ei appendix quędam sit dispositio, et affectio
respectu et ordine ad illam multari non potest: Hęc
illi. Sed ajentium sententia philosophorum
omnes mihi videtur habere numeros veritatis. Nam
ut Deus est re vera, sic et affecta sunt omnia: nisi
forte quo nihil est absurdius, id tueri velim homines
quę Deus non sunt, ea non re vera esse sed in specie,
et falaciter. Ita illis quęcumque, ut concludant, affe
runt, assentientes; consecutionem, inde ductam, non
improbare non possumus. Quid enim Deus bone! At
dam illa omnia? est quidem Deus perfectissimus
at est contra effecta quęvis imperfectissima: sed sunt
tamen re vera. Est ergo illis entis ratio cum Deo
plane communis, tametsi cętera differant in im
mensum. Quid? animantis attributum, quod in homi
ne ac bellua dissimilime reperitur, quippe quod in
hac expers in illa rationis est particeps numquis

philosophorum neget illis propie ac univoce convenire.

Neque Santum nobis Thomam Aquinatem qui prima parte questione centessima, quarta articulo primo in sic, inquit habet omnis creatura ad Deum sicut aer ad Solem illuminantem; sicut enim Sol est lucens per suam naturam aer autem fit luminosus participando lucem a Sole, non tamen participando naturam Solis; ita solus Deus per essentiam suam est ens, quia ejus essentia est suum esse; omnis autem creatura, est ens participative non quod sua essentia sit ejus esse. Nam ut id, quod luculentum ejusmodi testimonium legenti, statim occurrat, pretermittam, esse scilicet ibi pro existere accipit, sic ut intellectus sit, Deum necessario existere, ob id quod a semetipso sit, atque adeo a re nulla ~~adeo~~ alia existentiam emendisset suam, contra effecta omnia, cum ea Deo omnino pendeant, contingenter, ut dicere solemus existere. Ut hęc, inquam, certissima missa faciam

tantum abest illa Sancti Thomæ sententia ab eorum, qui contra, atque nos, hac in re sentiunt, opinione, ut non modo nobis faveat, verum etiam idipsum quod asserimus, ipse approbet, et confirmet.

Namque ut a se, hoc est, suāmet naturā, Sol luceat, aer vero lumine à Sole accepto; lux tamen utrobique verissime reperitur. At enim aer Solis naturam non participat. Esto. Sed quidnam hoc? nihil profecto aliud, nisi quod aer à semetipso non luceat, quamvis luminis vere sit particeps. Ita relinquitur à semetipso quidem Deum esse Optimum Maximum, ab ipso autem cætera, sed tam illum ipsum esse entium rationem habere, quam res conditaque quæque. At vero effecta quæ sunt Dei naturam non induunt: hoc est à semetipsis non sunt, ut Deus, sed a Deo profecta. Itane vero? sunt igitur. Sunt autem? est ergo illis cum Deo entis ratio communis. At [illegible] vero, inquit, alius, ipse Thomas prima parte quæstione 13 articulo quinto in O impossibile esse docet aliquid prædicari de Deo, et creaturis univoce quia omnis effectus

non adequantur virtutem causę agentis, recipit similitudinem agentis, non secundum eandem rationem, sed deficienter: ita quod id, quod est divisum et multipliciter est in effectibus, in causa est simpliciter, et eodem modo::: omnes autem rerum perfectiones, quę sunt in rebus creatis divisim et multipliciter, in Deo pręexistunt unitę et simpliciter. Nec pure equivoce, annectit, de Deo et creaturis dici, quę de his et illo dicuntur: quia ex creaturis nihil posse cognosci de Deo, nec demonstrari; sed semper incidere fallacia equivocationis; quod, tam est rationi, quam revelationi contrarium, ut ipse notat Angelicus. Nam et multa de conditore ex conditis demonstrantur, et invisibilia Dei á creatura mundi, per ea quę facta sunt, intellecta conspici docet Apostolus (ad Roman C 1. v. 20) sed secundum analogiam, id est proportionem: secundum quod est aliquid ordo creaturę ad Deum, ut ad principium et causam, in qua pręexistunt excellenter omnium rerum perfectiones: et iste modus communitatis medius inter puram ęquivocationem, et simplicem univocationem. Neque enim in his, quę analogicè

dicuntur, est una ratio, sicut est in univocis; nec totaliter diversa sicut in æquivocis: sed nomen, quod sic multipliciter dicitur, significat diversas proportiones ad aliquid unum. Sicut sanum de urina dictum significat signum sanitatis animalis de medicina autem dictum significat causam ejusdem sanitatis.

Libro etiam contra Gentiles primo cap. 32 ex his etiam patet, inquit, quod nihil de Deo et rebus aliis potest univocè prædicari nam effectus, qui non recipit formam secundum speciem similem ei per quam agens agit nomen ab illa forma sumptum secundum univocam prædicationem recipere non potest. Non enim univoce dicit calidus ignis à Sole generatus, et Sol, rerum autem quarum Deus est causa, formæ ad speciem divinæ virtutis non perveniunt; cum divisim et particulariter recipiant, quod in Deo simpliciter et universaliter invenitur. Patet igitur, quod de Deo, et rebus aliis nihil univocè dici potest.

Ad tam multa paucis ego respondeo, aut de mera entis notione à differentiis omnibus

mente, et cogitatione abstracti Doctorem Angelicum non locutum, ait si sic quidem intelligatur, mihi videri oppositum probabilius. Tunc autem ipso Aristotele, cui Sanctus Thomas concinit, definiente univocatio habetur, cum <u>et nomen commune est</u>, <u>et ratio per illud significata est eadem</u> identitate scilicet, vel unitatis rationis. Iam ratio entis vocabulo expressa, quatenus illud esse tantum significat, Deo factisque omnibus est communis; cum et Deus vere sit, et vere sint facta. Illud autem animadvertite, quod Eruditissimus Franciscus de Silvestri, in commentariis summæ Sancti Thomæ contra Gentiles eximius observat: <u>univoca</u> Sancto Thomæ esse, quorum ratio est eadem, non quoad formam solummodo, verum etiam quoad modum essendi. Quo quidem intellectu Entis vocabulum analogum non univocum, Deo effectisque rebus esse, ego cum Angelico ipso Doctore contendo. Verum ne consuetudinis œstu absorbeamur, finem accipiat disputatio; reliquumque capitis explanetur.

Age vero quod nec existit, nec existet

sed tantum non repugnat existere hoc possibile nominamus; at quod esse repugnat, illud dicimus impossibile. Possibilium exemplo sit Lunam incoli, Planetamve alium: quadratus vero circulus homo rationis expers, corpus soliditate vacans, et quę ejus sunt generis, impossibilium. Illa dicimus repugnare quę simul esse non possunt; quę vero simul esse valeant, non repugnare. Ita quoniam rationis absentia nequit cum homine consotiari, pugnare dicimus hominem rationis expertem; contra planetas incoli minime repugnare, ob eam rem, quia hę possunt inter semetipsa conjungi.

Duo sunt genera possibilium, intrinsecorum videlicet, extrinsecorumque. Intrinseca et absoluta ea possibilia vocantur, quę secum ipsa non pugnant: ut habitatus Planeta. Extrinseca vero relativaque ea, quę non intrinsecus modo possibilia sunt; sed externam etiam causam habent, quā fieri possint. Possibilitatis etenim notio ā duplici fonte manat, attributis scilicet rei essentialibus, uni-

ri potentibus, externaque causa attributa illa ipsa consotiare ac unire potente. Superior intrinseca et absoluta, contra extrinseca, et relativa inferior possibilitas appellatur. De impossibilibus pariter opinaminor. Aut enim secum ipsa pugnant attributa essentialia, ideoque intrinseca dicentur, et absoluta; aut non solum illa ipsa attributa conjungi nequeunt, sed etiam potentia causave deest, qua conjungi possint, in rerumque natura constitui: quæ propterea extrinsecus, relativeque impossibilia vocantur.

Quoniam autem sic finita, brevisque est mens hominum, ut rerum essentias, respectus quo perspicere nequeat, videndum nobis est, ne in constituendis impossibilibus decipiamur. Qui namque actiosas rerum omnium vires accurate dimetiri possimus, quos interiora rerum penitus latent? Si quis ergo vibis ... impossibilia, haud illi statim assentiamini, sed post prolixam acuratamque ejus, quod impossibile nominet, discutionem: nam impossibilitatis cum

intrinsecę, tum extrinsecę perdifficiles sunt notio-
nes. At non tamen hac in re tantum est à vobis dan-
dum ut ita dixerim, Saptissimo, ut quęcumque im-
possibilia circumferent etiam illud protritum, idem
simul esse, ac non esse non posse, negetur; eo scilicet
ducti, quod Deus, qua est sapientia, et potentia, ex
forte efficere possit, in quod visus est ire Cartesius.
Quid enim est, nisi hoc sit prima humanę sapientię
fundamenta subvertere?

Mos item est philosophorum, ut possi-
bile, et impossibile ulterius dividant trifariam, in
Methaphisicum, phisicum, et Morale. Illud autem
Metaphisice possibile dicunt, quod mirabiliter fieri
potest; at quod nec sic quidem fieri valeat, similiter
impossibile. Sic qui vitâ cessit, cum ad illam revoca-
ri, est possibile et homines ratiocinandi facultate
multari impossibile. Deinde quod solis naturę viribus
effici potest, ut è sapiente fieri hominem incipien-
tem phisice vocatur possibile; pariter impossibile
illud cui efficiendo impar naturę vis est, locum essem

pli causa à corpore, illum ocupante, non repleri, vel duo quæque corpora ibidem esse locata: est etenim corpus omne, ut in phisicis, disseruimus, soliditatis particeps. Tum moraliter appellant possibile, quidquid nullo fieri potest negotio id est quidquid factum non est dificile, quod vero effici quidem potest, idque in naturæ legibus aliquid derogetur, ac dificilime obiding. e perraro, moraliter impossibile. Ita hominem ut exempli loco proferam aliquidpiam, in iis, in quibus recte solet agere, adjunctis positum tenere virtutem, moraliter est possibile; contra pariter impossibile habeatur, eum ibi castitatem servare ubi semper à castitate desivit. Similiter impossibile P. Phisicum curari putate. Moraliter etiam impossibilia dicuntur, quæcumque adversa sunt honestati: ut ea sunt omnia, quæ lege vetantur. Sæpe namque ea nos efficere, aut omittere non posse dicimus, quæ præstare quidem, aut omittere possumus, sed non licet. Atque hæc cum semper memoria servanda sunt, tum maxime in legendis auctorum scriptis; ne falsas,

vel absurdas illius opiniones abstraibamus. Quod fecisse Novatianos seculi Eclesiæ tertii hereticos, qui cum in Scripturis legissent, qui semel recipuerunt, eos, si iterum labantur, ad pristinum statum redire non posse; omne lassis in pecatum hominibus spem salutis astulerint, vt libro de lassis Ciprianus tradidit Beatissimus. Illud etenim Scripturæ impossibile quidem est moraliter, non aliusmodi. Quo sane intellectu præ earum etiam illud Lucani effatum accipitur. Negatum est summis stare diu. Ex quo fit, vt quæ ad supremum gloriæ ad felicitatis apicem res pervenerit publica ea vacillet, nec diu possit stare.

Moralia tandem dici possunt impossibilia, quæ intrinsecus quidem possibilia sunt, at quia cum Dei natura pugnant ab ipso fieri nequeunt exempli causa. inocentem, vt reum puniri: quod cum interdum ab hominibus fiat, dici nequit, quin fieri possit, atque adeo sit intrinsecus ex se que possibile. Id attamen cum Dei sapientia, justitia, et santitate pugnat, vt ipse tanquam reum plectat insson-

tem: obidque ipsum illius modi puniri potest, estq. inocentis punitio, ad Deum relata moraliter impossibilis. Duas namque (ut hęc amplius pateant) in Deo distinguimus, mente, et cogitatione potentias, absolutam, et ordinatam, seu phisicam, et Moralem. Quod vulgatius quidem ac tritius est. Absoluta igitur Dei potentia vis agendi tota prorsus est, qua infinita ejus natura potitur: agendi autem suę ipsius sapientię justitię bonitatis alius ejus attributis ejus, aut perfectionibus convenientior vis, potentia dicitur ordinata, illa ad omnia pertinet intrinsecus possibilia, hę ad eam tantum ejusmodi possibilium partem, quę sunt sua cum sapientia et bonitate conformia. Ex illa impossibilia tantum intrinseca excipiuntur. Ex hac impossibilia moralia, seu quę etsi in se pugnantia non sint, cum Dei tamen attributis minime congruunt. Itaque non efficiet quidem Deus hominem rationis expertem quod ipse homo nequit existere, sive pugnat, ut sit. Nec vero puniet inocentem, non quod impossibilis

in se sit inocentis punitio, cum ab hominibus, vel ignorantia, vel improbitate insons aliquando plectatur, sed quia Dei sapientiæ et sanctitati non quadrat. Eodem attinet, quod semel Deus ipse voluit esse, vel noluit. Cum enim ejus voluntas mutari nequeat; nec quod voluerit, amplius nolle; nec quod noluerit, post modum velle, ut est perspicuum potest: esset que namque alias, quod repugnat prorsus mutabilis.

Sequitur de futuro quod non solum esse tere posse debet, verum etiam extiturum esse aliquando; quemadmodum illud est verbi causa, quod hominibus credimus statutum, semel singulos morituros. Duplex quibusdam est Metaphisicis futuri descriptio: nam quod certo erit absolutum; quod autem quibusdam positis, esset, conditionale vocant. Attamen postremum hocce futurorum genus ad possibilia potius, quam ad futura dixerint attinere. Quidquid enim cum esse possit, non est aut numquam erit, aut aliquando. Jam quod esse quidem potest, ac nec est nec erit unquam possibile, ut ante diximus, est habendum. Quod

autem est aliquando extiturum, hoc futurum vere est; idemque absolutum certum, ac statutum. Videte igitur, ne ulla sin conditionalia futura. Atque eos è vobis, qui sacris operam navare litteris medi tantur, hoc moneo: quę hactenus docuit, ut perspecta habeatis, eaque animis, et mentibus omninò mandetis; ob id quia magna cum naturali revelataque Theologia habeant societatem presertim ubi de scientia, voluptate, libertate, gratiaque divina disseritur.

Deinceps necessarium cujus nomine id omne intelligitur, quod nequit non esse. Quod autem nequit aliter esse, ac est, hoc dicitur immutabile; contingens verò illud, quod potest non esse. Quod aliusmodi esse potest, ac est, id mutabile nominatur. Ē quibus perspicuum esse videretis, necessaria, et immutabilia ejusdem quidem ordinis esse; ut mutabilia etiam et contingentia. Quidquid etiam necessarium est, est et immutabile; versaque vice. Id ipsum contingentibus, illisque quę sunt con-

tingentibus, illisque, quæ sunt mutationis subjecta, contingit.

Necessarium ad existentiam illud est, sine quo nequit aliud existere. Ad Essentiam veri id dicitur necessarium, sine quo rei essentia haberi non potest. Quod autem hocce modo necessarium est, id a Wolfio dicitur essentiale: quam quidem vocem, et alias, ut scitis, usurpabimus, et eximus deinceps usurpatis aptioribus destituti.

Præterea *necessario ac intrinsecè* id pendet ex altero quod est ad ejus essentiam necessarium. Sic ex soliditate corporea omnis respondet, è mente atque corpore homo; è quatuor lateribus quadratum, è suis demum essentialibus singula. *Necessario* autem *extrinsecè* id pendet ex alio, quod ad ejus existentiam solummodo necessarium sit. Ita ex Deo effecta omnia, atque ex suis effecta quæque causis efficientibus pendent.

Vulgatum tandem illud est apud philosophos; cum necessarii ac immutabilis, tum mutabilis

et contingentis tria genera distinguere: Metaphisici scilicet, phisici, et moralis. Quod non esse repugnat, ut Deum non esse, aut non esse justum; id necessarium Metaphisice vocant. Similiter immutabile dicunt, quod esse repugnat, aliter quidem ac est: quod et Deo penitus congruit. At quod non potest quidem non esse; quodque esse quidem aliter nequit, sed tantum, ne naturę jura solvantur: phisice necessarium est, ac immutabile: quod corporum soliditatis, ut infinita ?iceam dos est. Denique moraliter necessarię, et immutabilę nominant, quod perraro potest non esse, vel esse aliter ac est; sic necessarium est, ac immutabile eum offendere interdum qui festinus est pedibus: quod cum usu evenerit, stabunt jura naturę. Ac ex his intelligere nullo certe negotio potestis quid sit Metaphisice, Phisice, moraliterve contingens, sive mutabile. Interea hoc fixum velim maneat et immotum: quod nequit, seu repugnat non esse, esseve aliter ac est; id solum esse simpliciter, necessarium, et immutabile: cętera vero

absolutè contingentia, et mutabilia; tantumque secundum quid, ut dici consuevit schola, necessaria et immutabilia. Verum hęc hactenus: reliqua doceantur.

Caput Secundum.

De notione subjecti, adjuncti, substantię, accidentis, qualitatis, modi, essentialis, attributi, essentię, naturę, potentię, rationisque sufficientis.

Principio igitur id subjectum appellamus, cui aliquid piam adhęret: quod autem adhęret subjeto, adjunctum vocamus. Sic ut virtutum ita vitiorum subjectum mens est finita; virtutes autem, et vitia illius adjuncta, pariter innumerabilia. Substantia deinde primum ejus est subjectum, quod existit, aut fit; estque ita, ut è nullo intrinsecus pendeat antecedente subjecto, sed à suis duntaxat essentialibus, ex quo fit ut semel in rerum natura constituta substantia per semetipsa esse possit. Accidens vero est substantię adjunctum, ejusque vel essentia, si qualitas

sit, vel existentiam, si modus limitat, ac definit: Placet enim nobis mirandum in modum duplex hæc accidentis descriptio, à solertissimis memoriæ nostræ Metaphisicis excogitata; quibus id sancire visum est, ut, quod accidens Rei essentiam spectet, qualitas; quod existentiam modus dicenda sit.

Rei essentialia ea sunt, quibus primum Rei essentia tenetur. Attributum autem illud dicitur, quod non primum quidem in essentia est, quod quidem ab essentiali interest, sed necessario tamen, et intrinsecus ab essentia emanat: idque ita, ut hâc posita vel ablata ponatur illud etiam, vel auferatur. Talis visa mihi est corporum divisibilitas, quæ, etsi essentiam non integret corporis, ex ea tamen sequitur necessario. Attributum ergo in eo cum accidente discrepat, quod ut nequeat, salva et incolumi naturæ substantia deesse. Sæpè etiam quod Rei attributum est, id Metaphisici proprietatem, seu perfectionem ut in phisicis forte dicebamus appellant. Preterea attributa quædam affirmantia sunt, alia diffitentia

vel inficiantia: hoc est, ut dici solet, affirmativa et negativa. Superiora quid res sit exprimunt, quid vero non sit, inferiora. Primi generis et corporis v. c. divisibilitas, alterius contra mentis, aut spiritus insectilitas.

Duplicem deinde substantiam esse, multi quidem dicti sunt, cum novistis, brutam scilicet unam, ut ratione sic electione cassam; spiritalem alteram, dotis utriusque participem. Ne autem spiritale cum in corporeo penitus confundatur, videte; cum percipi quam optime possit incorporeum quod spiritale non sit. Spatium nonne esse cum bene multis rati estis philosophis; quod cum incorporeum sit, spiritale tamen non esse contenditis? injuria ergo quidquid sit incorporeum, spiritale etiam esse debere Cartesianorum ratio concludit. Etsi namque spiritalia omnia incorporea sunt; non ~~enim~~ omnia tamen ~~haberi debent~~ incorporea haberi debent spiritalia. Rationum iterum momenta perpendite, quibus incorporeas pecoribus esse animas, tametsi

rationis experter, ut mihi quidem videtur, demon=
stravimus. Neque vero vos consuetudo, velim, sed
ratio in opinionem abducat; quare cui verum lu=
beat, ei, per me licet, in aliena castra transfugiat.
Nemo mearum mancipium sit sententiarum: quos
enim Deus libertate donavit amplissima, eos servi=
tus ejusmodi docere non potest. Sed incondite me ver=
borum ambitus rapit. Quod ergo abrupimus commita=
mus. Essentiam deinde voco unionem essentialium in=
divisibilem. Dixi autem indivisibilem, ut innuerem,
eorum auferri posse penitus nullum, quin rei essen=
tia immutata, desiceret. Nam si quadrato, hexa=
gono, vel heptagono latus aliquod abstuleritis, alia
statim evadet figura, aliaque propterea essentia.
E quibus conficitur, rerum essentiam non esse ut=
cumque in una tantum propietate attributove co=
llocandam. Erit forte, quod fateor, ita simplex res
aliqua ut uno tantum gaudeat essentiali, ut alias
diximus, sed illud tamen vero finitimus plerasque
essentialibus constare, quam plurimus, in quibus

propterea nullus est nobilius, priusve conquirendum, in quo, uno, remotis cęteris, essentia constituatur illarum. Et quidem esse videtur in causa, cur non omnium ferè rerum essentię lateant: qui licet unum aliudve rei alicujus essentiale noverimus; plura tamen mente consequi non possimus. Aliter se res in Matemathicis habere videtur, ubi rerum essentię non reales, ut ita dicam, sunt, sed nominales; atque adeò ad Aritmeticorum, et Geometrarum arbitratu originem ducunt. Essentias enim in reales, ac notionales, seu nominales dividunt Metaphisici. Et illę quidem sunt, quibus res ipsaë sunt tales, hę vero nihil aliud, quam rerum notiones, vel ideę, verbis expressę. Itaque cum rerum essentias massima ex parte latere nos dissero; de realibus me loqui sciatis; cęterę namque definitis vocabulis, cognoscuntur. Neque verò ita sum hebes, aut in philosophorum dogmatibus peregrinus, qui nesciam eorum esse perpaucculos, quibus essentię nominales suę non videantur reales et verę; idque contendant pertinaciter. At sapien

tium hic de rebus desidia vatis nos edocent, vix per paucorum nominales modorum essentias haberi pro realibus posse: quinimo nec has quidem, ut opinor, ni si in multo paucissimis.

Huc accedit essentiarum divisio in factas, et æternas, quæ intelligibiles etiam, et archetypæ nominantur: quarum hæ Dei mente continentur; illæ extra Deum in rebus ipsis existunt.

Venio ad vim quæ agendi facultas definitur, partiturque, ut jam pridem nostis, in vivam et mortuam à Leibnitio, quem multi, nosque ipsi secuti sumus. Anteriorem dicimus, quæ est cum actione conjuncta: qualis est decidentis corporis vis, aut flammæ, semetipsam jugiter agitantis. Quæ autem sita est in nisu dumtaxat, à quo alicujus obicis causa actio non sequitur, posteriorem: cujusmodi est penduli vis corporis, immobiliter, ut dicitur gravitantis, hoc est, subjectum sibi aera comprimentis. Quam quidem virium distintionem rursus me probare confiteor, quod vero eam putem similimam. Ut enim de vivis taceam viribus,

quas identidem cernimus, suntque cuivis notissimę veniuntur suusque docemus, tametsi nostrar inter dum et prepeditur, rexar tamen generaliter rixar exsi tere. Potentiam autem pretermitto, quod ari minime interrsit; est namque vis agendi potentia; exempli causa vis cogitanis, visve motrix

Quod ad naturam spectat, etsi pro essentia sępe sumatur, quod jam usque à Physicis didi cistis; propie tamen ac pressius nomine Rei vixer, actus sunve principium, ut ibidem diximus, intelligitur. At in Moralibus norma vel Regula humanorum ac tuum a Deo naturę lumine promulgata, lex naturalis naturave nuncupatur.

Ratio deinde sufficiens, qua non adolescentior aliquis, ut quidam male sentiunt, invenit; sed quâ et Plato, et Aristoteles, et veterum plerique philosophorum sunt usi; id est, unde cursit, curve ta le sit quidpiam intelligitur. Satius ergo patet patere, quam causa pateat. Principium autem illud habe tur, quod in semetipso rationem Rei alicujus suffici

entem complectitur. Cumque vel essentiæ vel existentiæ, ~~[deleted word]~~, vel scientiæ, vel ordinis ratio esse possit sufficiens, relinquitur, totidem esse posse principia, essentiæ nimirum, existentiæ, ordinis, vel scientiæ. Sic primum idemque liberrimum, ac existentiæ cum existentiæ mundanæ principium. Deus est Op. M.. Ordinis autem principium illud, unde ordo aliquis proficiscitur. Quæ vero axiomata, certave pronuntiata dicuntur; illa ipsa sunt principia scientiarum. Intrinseca tandem corporea rerum naturæ principia, alii, quod scitis, alias sunt; sed nobis primigeniæ particulæ inertes illæ quidem ac solidæ; visque ipsarum actuosa, quam dicimus essentiam.

Denique leges naturæ sunt physicis, ut alias mauis, regulæ ac normæ, secundum quas hujus rerum universitatis, motus omnes fieri, architectus ipse mundi constituit, cujus quidem voluntas una est ratio ipsarum existentiæ normarum sufficiens. Sic se Gravesandus, sic Muschenbroechius, sic omnis sese explicat Neutonianus, et sapientissimus quisque

naturæ venator. Ego autem tenere me nequeo, quin ambabus, ut dici solet, ulnis leges istas amplectar. Quis enim dubitet, legibus factam esse certissime? Verum naturam omnium, et extare? quod si ita est facta est, statque ordine sine legibus, qui ullus, quæso, possit ordo consistere? sunt, sunt igitur leges illæ naturæ.

Caput Sextum.

De notione fati, providentiæ et casus.

Proximum est de fato, quod generatim acceptum est ea causarum mundi omnium effectuumque connexio, ut altera ex altera sic pendeat necessario, ut nullo in annullo catena, ut ita dicam, illa possit abrumpi. Est autem quintuplex democriticum scilicet, Aristotele um, Stoicum, Spinocisticum, Muhammedanum. Itaque ea fuisset sententia Democriti, ut atomos crederet per semetipsas esse ex eternitate; perque inane undique interminatum æterno necessarioque per citas motu: omne illi fatum, et providentia cæca quædam, et bruta, atque necessaria causarum effectorumque omnium series est, ex æternitate profluens

interruptè, non quidem à Deo, sed è naturæ ipsius materiæ necessitate. Quod verè impium nefandumque fatum Epicurus Lucretiusque sunt amplexi.

Fatum est deinde Aristoteli æterna necessariaque mundi à Deo conditio. Nemo etenim nesciat, rerum universitatem à Deo ex æternitate factam visam esse homini.

Sequitur Stoicum, quod est necessaria, et indubitabilis rerum series, non ex materia neque ex Dei natura per essentialem, ut ajunt, emanationem; sed à divina voluntate procedens. Equidem scio multos hoc de fato multa opinatos. Alios à Christianorum hominum providentia non esse distinctum, ideoque nihil de voluntate divini numinis derogare: sed tantum immobilitatem voluntatis ejus, eamque necessitatem, quam Moralem, et hypotheticam Sanctus Thomas appellat, Stoicos fati nomine innuere voluisse. Alios contra, fatum ejusmodi purum, putumque esse Atheismum. At oppositum Tullio, Senecaque concluditur: adeantur.

Spinosæ insuper

fatum est necessaria æternaque rerum series, necessario eo æternitate, a Divina natura essentiali dimanatione, procedens. Atque ut fatum ejusmodi notius vobis fiat, et dilucidius, per brevem auctoris ejus doctrinę historiam contexere lubet. Impio ergo nomen fuit Benedictus. Pater autem mercator quidam Judeus Lusitanus. Patriam habuit Amsterdamum; ubi Octavo Kalendas decembris anno Eræ Christianę 1632 medio-cri loco natus est. Postquam latinè scivit, totum se in philosophię ac Theologię studium contulit. Judaissmum adjuravit, seque Christianum palam professus est. Sed cum acriori cura in philosophiam velet incumbere, omnibus abdicatis, secessit in solitudinem: ubi eo liberrima devectus est cogitatione ut in Atheismum prolaberetur. Tandem Agam patiit, ubi nono Kalendas Martias anno 1677 annum agens 45 Ptisi confectus vitâ functus est. Descripsit autem cum per multa ediderit nequissima, eo tamen nequius et perniciotius, quod tratatctus Thelogico politicus inscribitur, nullum penitus reperitur. Est enim

monstrum sic horrendum, impium, absurdum, ac detestandum; ut non ad ultimas terras disserunt sed ad ipsos sit inferos amandandum

Multa ergo docet nefanda. In primis nec esse nec esse posse plures substantias, quam unam, quæ cum æterna sit tum infinita cogitatione, ac extentione donata. Deinde quotquot corpora existunt ea totidem substantiæ illius unicæ quatenus extensæ, modificationes: spiritualia vero ut mentem hominis, ejusdem substantiæ modos esse, quatenus intelligentia pollentis. Ad hæc substantiam illa Deum; ideoque quidquid existit, Dei partem esse vel modum; Deumque mundum esse, mundumque Deum. Hinc præterea ipsum eorum, quæ sunt, necessariam esse causam, quæ nec operatur, nec operari aliter potest, nisi necessitate constricta. Nihil in Rerum esse natura contingens; Rerumque essentiam, et existentiam similiter necessarias.

Nihil etiam eorum, quæ facta sunt effici aliter potuisse. Voluntatem proinde omnem,

ne divina quidem excepta, libertate vacare. Dementis esse credere, Deum omnia fecisse homini, huncque sibi; ut se honore, obsequio, et amore prosequeretur. Preterea nec Deum, nec hominem quidquam sibi in agendo proponere; atque adeo quę finales dicuntur causę, mera esse somnia hominum, et commenta. Notiones Dei, boni, et mali meriti, et, ut ajunt demeriti, laudis, vituperii, justi, et iniqui, confusionis, et ordinis, idque generis alias, quę passim ab hominibus circumferuntur; nec quicquam esse aliud, nisi imaginandi modos, singularem cerebri cujusque constitutionem, non autem rerum naturam, aut conditionem significantem. Hęc sunt quidem magna, sed ecce majora.

Docet enim insuper Atheista, Deum nec latorem legis esse, nec judicem; ejus aut timere supplicia, aut premia, et munera expectare esse solem niter insanire. Itaque quas leges, quę premia, quas pęnas et cruciatus cum Profete, tum Christus ipse Dominus, Apostolique ipsius et discipuli predicarunt, eo solummodo tetendisse, ut populi jurgia

seditionesque sederentur, Aniculę stultique ac bardi homines terrentur. Ad summam ne omnia et singula persequamur, actionem malam esse nullam, cum nihil rectè rationi possit esse contrarium; hęc enim nihil ab hominum prejudiciis abest, eaque omnia accidere, quę peccata dicuntur, ordo ipse rerum naturalis fert, ac requirit. Ex quo fieri, ut homo necessariò sit homicida exempli causa, adulter, sacrilegus cętera. Denique ignarorum et rudium animam penitus esse mortalem; doctorum, ingeniosorumque hominum et mortalitatis, et immortalitatis esse participem. Hę spinosisticę summa doctrinę: è qua ut nemo non perrideat, cum multa manant absurda delira, impia, scęlestissima; tum plurima secum ipsa pugnantia, quęque in eum duntaxat, qui decipiat, hominem cadere possunt, comprehendi.

Est nanque omnia Deus Spinosę: ut motui, sic quieti subjectus: immotus, seque simul jugiter movens: nunc frumentum, mox farina, vel furfur, panis deinde, tum chylus, sanguis, caro,

Chartilago, os, cętera. Pręterea una efficiens causa est, et effectum; agit, et patitur: vultque simul aut non vult: diligit, odit: ait, et negat: letatur, et meret. scit, ac nescit. Deus tandem ipse non principium modo est, fons, causa, et origo; sed subjectum etiam stultarum omnium cogitationum, turpium, execrabilium omniumque humani generis, flagitiorum: ita videlicet, ut omnes illę loquendi formulę, quibus utuntur homines, ut quod alter alteri at sibi ipsi damnum intulit, patefaciant; hoc tantum sibi velint: Deum semetipsum odisse, persequi, occidere, urere, dentibus carpere, ac dilaniare, laqueo se suspendere, calumniari, idque genus per multa.

En juvenes mei, quo semet ipse homo perducit, qui timorem abjicit conditoris. Deum ergo timete: sensa sua quisque, et sua cohibeat: sumus etenim homines pariterque ut cęcus ille ac impius homo in Pantheismum ruere quimus: quam quidem a nobis Deus pestem avertat. Et hęc quidem dictare voluimus, ut errorem illum scienter con

sidare possetis. Sed epitomes lineas videor transiliisse: pœnitet, recipio.

Fatum restat Muhamedarum, quod est absoluta, et immota rerum omnium prædestinatio, in Deum quidem libera, ac in rerum ordine necessaria: qua de re permulta dicuntur.

Providentiæ deinde nomine significatur rerum mundi omnium præscientia, et prædestinatio fixa quidem, inconcussa, et immota; at cum sua in origine, tum in rebus libertate gaudentibus liberrima. Huc accedit conservatio, perennisve illa vis, ne res semel facta, intereat, prohibens.

Tum casus si apposite sit loquendum, est, cum res nulla fiunt præscientia, ordine nullo, vel fine nullis certis statutisque causis. Itaque cui purus exstiterit casus, quod sciam ego, vel legerim, Metaphisicus exstitit nullus. Ut enim providentiam funditus Epicurus substulerit, ordinem tamen causarumve seriem reliquit, quæ certis, Laertio teste, naturæ foederibus ad conficiendos, dissolvendosque mundos convenirent. Eo

hic praetexea fit, nedum providentiam tolli omnem, casu posito, sed ordinem causarum. Ut ergo sint, ac fuerint, plures, ut ita dixerim Fatalistae, ad Casualis tam quantum assequor, iterum esse dico. vel fuisse neminem. Et hic quidem, si placet, libellum atrocitate causarum, quem in Phisicis post corporum initia dictavimus: Et illius enim, et hujus est loci; cum particulares et proximas rerum causas Phisicus debeat, generales remotasve Metaphisicus vestigare.

Caput Quartum

de identitatis, diversitatis, distintionis, unitatis, individui, suppositi, et personae notionibus.

Age nunc sic de identitate, ut Metaphisici loquuntur, de diversitate, atque distintione dicamus. Identitas ergo Metaphisicus est rei ad semet ipsum, loco, temporeve mutato, immotum relatio Qua propter ei opposita quidem diversitas est, rei videlicet ad semet ipsam, tempore mutato vel loco mutatam respectus. E quibus perspi

cuum est quidquid, quamlibet, loco mutato vel tempore, maneat immutatum, idem dici debere, at quod mutatis illis, mutetur, jure dici diversum.

Preterea cum identitas, tum diversitas Metaphisice, vulgo, et moraliter accipiuntur. Jam ut res priore modo sit eadem, non essentiam modo sed ne modulum quidem mutet, necesse est. At vulgo modo ne varient essentialia, res eadem vocitatur. Sic fit, ut senem Carolum vel Antonium eundem hominem dicamus, ac juvenem diceremus: quam quidem identitatem, ne dicite Metaphisicam, sed phisicam, et vulgarem. Tum res dicitur Moraliter eadem, aut diversa, si conformis legi, vel discrepans esse pergat, aut contra. Quocirca qui constanter probus vel improbus est is, si de morali sermo habeatur identitate, probus idem, vel improbus appellatur, secus; si secus.

Et hec in scriptorum lectione recolenda cum maxime, docemur enim, ut exemplum afferam aliquodpiam, divina scilicet fide resurrecturos: homines aliquando: eosdem nempe qui vitam prius cum

morte commutarint, neque esse debet resurrectio, in novam hominum generationem abeat; neve alii puniantur, vel premio afficiantur, atque illi ipsi, qui ante probi, aut improbi fuere. Itaque hoc semper Catholica tenuit Ecclesia, eosdem esse homines resurrecturos. Sed apud Scriptores ipsos Theopneutos, ΘΕΟ-ΠΝΕΥΣΤΟΥΣ hoc est Dei spiritu afflatos, legimus beatorum saltem corpora hominum immutanda. Itane verò? nonne ista pugnant? an quod immutatur idem jure dicendum? at nihil est tamen, quod difficultas nos hęc debeat remorari. Illa namque identitas cum Phisica sit, aliquam, ut ante dicebamus, immutationem patitur.

Ea insuper dici solent diversa, quę genere differunt, vel specie. Ut a mente corpus ab hominibus pecora. Quę ergo diversa sic sunt ea quoque distincta habenda sunt; vicissim tamen neutiquam. Homo enim est distinctus ab homine non diversus.

Deindè distinctio, illudve quo unum

aliud non est; sic enim ab omnibus definitur. Est autem vel ex parte, ut ajunt, Rei verbo, etsi minus latinè Realis; vel Rationis. Superior illa est, qua unum re vera, nulla scilicet intercedente cogitatione aliud non est. Ita mens à corpore, ita homo quivis altero ab homine, brutum à bruto distinguitur. Quæ vero distinctio fit mente, ut plura quod est quidem re vera unum percipiente, sed quod ansam; ut ita intelligatur ministrat; ea Rationis distinctio vocatur. Sic in linea, quæ ita inter duas alias reperitur, ut earum uni perpendicularis sit altera parallela, rationes duas illas, sive respectus cogitatione distinguimus; cum res ipsa, scilicet linea interjacens locum, ut est perspicuum, faciat distinguendi

Multi præterea sunt, qui distinctionem illam, quæ realis vocatur, trifariam dividant. Nam vel eam esse ajunt rem inter et rem, inter duos v.c. homines, realemque strictam dicendam statuunt: vel inter ejusdem rei attributa, quæ ipsi vocant formalitatem ob idque appellandam formalem: qualem

putant inter animantem hominis vim, et ratiocinantem intercedere. Hunc ergo distintionem Schotistæ, uno eis vel altero recentiorum concinente philosopho minorem esse reali stricta distintione contendunt; quippè quæ rei cui inest, identitatem non auferat: sed distintione contendunt tamen, quæ à sola cogitatione procedit, majorem. ob id quia non ea mens cominiscitur; sed ipsa, etsi nulla esset cogitatio, reperiretur in rebus. Displicet hominum sententia: et nisi clarioribus contentionibus valle dissisem ad labium usque negarem. Qui enim, quæ revera distincta sunt, eadem esse possint non capio: quonam pacto ratiocinandi vis exempli caussa, atque sentiendi, qua pollet homo, duo sint simul, et unum. Vosne hæc intelligitis? tenuere mihi videmini. Et ego igitur annuens renuo.

Sed ad tertium distintionis genus accedo, quod ejus est, quam dicunt <u>modalem</u>, quia inter rem ejusque modum aliquem intercedit. Sic à calore distinguitur est ignis, ab odore, quæ rosæ v.c inest, rosa ipsa, à dulcedine mel, aut saccharum, cætera

Quam sane distintionem, cum major ea sit, et insig nior, quæ mente, et cogitatione per agitur; reali tamen stricta, ea scilicet, quæ duobus interjacet individuis, est quidem minor, ut patet ex levior.

Sunt inter scolasticos plurimi, qui distintionem ponam, quæ sit, ut ipsi loquuntur, virtualis intrinseca; eaque in re locum habeat, quæ una quidem simplexque sit, et nobis prebeat occasionem, ut plura in illa ipsa quasi distinta cernamus, de quibus propo sitiones inter semet ipsas pugnantes enuntiare pos simus. Sic de Deo cum loquimur, vere dicitur Patrem Filium generare, natura vero divina illum minime generare, quamvis Pater Eternus, naturaque divina sint re vera unum, et idem. At nullam re ipsa hic ego distintionem invenio, sed fundamentum solummodo distintionis, tum scilicet mente nostra, et cogitatione faciendæ. Nisi enim fundamentum adsit aliquod aut ratio pâtet in eo, quod simplex vere sit distinguendi; nullam profecto mens efficiat distintionem.

Jam esto quidem fundamentum distinctionis, et ratio; ac esto res simplex: erit certè distinctio finita scilicet mente, et cogitatione faciendam; re tamen unitam, simpliciter nulla distinctio, sed distinctionis quæ re ipsa nulla est, cognoscendæ fundamentum et ratio. Quod autem adjiciunt, intrinseca illa posita distinctione optimè intelligi explicarique posse, cum verè de Deo propositiones illæ dicantur, quæ effectis in rebus essent omninò pugnantes; mihi prorsus est falsum. Quid est enim aliud illis distinctio sua intrinseca virtualis nisi multiplex, ut Gravissimus loquitur, et ingeniosissimus Augustinus, simpliciter, et simplex multiplicitas naturæ divinæ (lib 6 de trinitate Cap. 4) hoc est, res quæ cum una sit, cum simplex; cum infinita, multis tamen rebus æquivalet. Ob id Catholicorum negat hominum nemo: tantum cur ita sit quæritur. Ex quo fit, qui, ut difficultatem auferat, virtualem illam comminiscitur distinctionem, cum non modo difficultatem plenè relinquere, sed id ipsum respondere, quod quæritur, atque adeo in

præsentiore Logicæ utilissimam suavissimamque pecare.

Hæc ergo de attributorum Dei, deque natura ejus, et relationum cum natura collaturum distinctione habete: re quidem nullam esse; sed mirabilem Dei naturam, qua mentis nostræ acie ita vincitur, ut illam perspicere nequeamus, fundamentum nobis præbere, ut multa in illa, cum sit multitudinis expers mente tamen, et cogitatione faciamus, hoc, quod ex divina infinitate, humanaque imbecilitate consequitur, et distinctionis quidem finem accipito.

Sequitur unio, idve quo ens est unum. Et unum quidem Physice dicetur, quod aut simplex est, aut ita sua habet essentialia conjuncta, ut in essentiam naturamve abeant unam ex quo perspicitur, duplex esse genus ejus quod dicitur unum, simplicis videlicet, et compositi. Superiori partes ne distinctæ sunt nullæ, ut mentes omnes, utque atomi essent, si essent: quam quidem unitatem, simplicitatis ab schola vocatam in absolutam Schola ipsa partitur, et alteram

quam ipsamet secundum quid nominat. Prima si rem efficit unam; ut nec mente quidem aliquid possit amittere, quin esse desinat illico: qualis profecto Deus est, cui nihil est penitus, quod ab eo vel cogitatione possit auferri; quin esse desinat Deus. Altera vero, ut rem nullam in essentia divisionem admittere faciat; non tamen obstat, vel impedit, ne privari possit aliquibus, quin propterea res illa ipsa intereat: cujusmodi nostra est mens, quae, tametsi essentiam tenetur, ut dici solet, indissolubili, hoc est attributis separationi obstantibus, et pugnantibus constituta; At virtutes, habitusque reliquos, quos habet amittere, quin esse desinat, potest.

Ne autem unicum cum uno misceto. Illud enim est, quod nullum sibi simile suo in genere habet: quo quidem intellectu filius, qui solus est unicus appellatur. Quocirca licet omne unicum unum esse dicere possit, vicissim tamen omnino non potest.

Deinde quod unum e partibus constet, hoc compositum, ut omnia sunt sensilia corpora;

dicitote. Atque unius compositio quem ad modum scholastici docent, vel est phisica, hoc est distincta cum Re vera partium; vel Metaphisica ex essentia, et propietatibus; vel Logica denique ex genere et differentia. Solet preterea, quod unum est compositum in unum per se, et unum per accidens, seu per agregationem ab scholasticis ipsis dividi: ita scilicet ut unum per se sit, quod pluribus, ad illum ipsum conflandum natura destinatis, existat: cujus modi ex bos est omnis, et animal, ut utar exemplis. Quod autem ex multis constat principiis, in id ipsum natura minime deputatis, frumenti exempli causa acervus, id unum per accidens: perve agregationem vocatur. Voluntatem deinde concensum atque concordiam unum Morale appellare solemus. Unum autem numerice sive potius numero illud dicitur, quod ab alio distinctum est, non quidem cogitatione sola sed Re. Totum unum Phisice compositum appellatur. Partes autem ea, e quibus totum est factum.

Tum unum universale Philosophis est,

aut singulare. Illud trifariam scholasticorum ratio dispecit. Nam vel unum esse in multis, ajunt, et universale in essendo; vel unum exhibens multa, quod vocant universale in repraesentando, vel unum tandem de multis, quod universale in praedicando appellant. Quae sane omnia si constent, de quo alias paucis, res, quae et una sit, et in multis, universalis erit. Quae in sua per idea una esse non desinens plura referat, universalis erit. Quae denique voces plura simul significent cogitata, vel res, modone esse unae desinant, universales erunt. Quid enim? suntne nostrum ejusmodi genera universalium? tollerantiam impero sciscitanti; sint enim, necne sint, alias, fusius dissimus, vestigabitur.

Singulare autem unum illud est, quod ita est unum, ut non ad alia pertineat, vel, ut scholasticorum loquendi modum adhibeam, quod, cum in se sit indivisum, à quolibet alio, divisum est. Individuum etiam vocatur hoc unum.

Sequitur persona, quae individuum rationis particeps deffinitur. Atque ut individuationis

principium id vocat schola, quo res est quælibet individua: sic quo res quæpiam persona est, hoc personalitatem appellat. Quod si individuum ratione vacabit, suppositum dicitur: tametsi suppositi nomen individuis etiam rationem habentibus, interdum soleat applicari. Et quidquid ad personam spectans explicuimus, per meos ne quidem esse, sciatis: cumque omnium intersit perspicuam distinctamque personæ notionem habere; tum eorum maxime, qui esse Theologi meditantur.

Summo tandem opere, ne divinæ cum factis personæ misceantur, et confundantur, quævis enim finita et facta persona distinctam a personis reliquis naturam habet, at tribus Dei personis una est, individua et infecta, et ipsa natura. Cujus Photiniani, Socinianique obliti, Trinitatem Dei inexplicabilem, tanquam rem, pugnantia continentem aliqua, rejecere. In re autem aliqua contineri pugnantia, illud ipsum est nobis quod Scholasticis contradictionem involvere: sic ut res ejusmodi e contrariis sese que invicem perimentibus si existeret, attributis constaret: qualis circulus

verb. cau. quadratus si modo existere posset, esset.

Caput Quintum.

De perfectionis, veritatis bonitatis, similitudinis, dissimilitudinis, ordinis, pulchritudinisque notionibus.

Deinde perfectio, quæ aut _artis_ est, aut _finis_, aut _entitatis_, ut dicitur. Superior ei id est cui quod demat aut addat nihil ars habet. Quod si ad humanam referatur artem perfectio ejusmodi humana; sin autem ad divinam, divina artis perfectio vocatur. Altera illi est rei, cui nihil deest, ut fini suo plane respondeat. Postrema in ipsa rerum, ut ita dicam, Entitate consistit; sed hacce lege, ut quæ contingentius existunt, quæque ut generationi sic interitui obnoxia sunt, ut corpora, minus rebus illis aliis perfecta sint; quæ nec ita sunt contingentes, nec generantur vel corrumpuntur, ut mentes, simplicesque substantiæ omnes; in quibus intelligentiores minus intelligentibus perfectione vincant: ~~[illegible]~~ Itaque cum vitem exempli causa, cum pontem, cum arma, cum alia humanarum artium opera perfecta imperfectave dicimus;

ea finibus convenire, secusve suis intelligimus. At cum arbores belluas, homines, naturę rei cęteras perfectione, aut imperfectione affectas dicimus; ad entitates, ad ipsius naturę fines res illas ipsas refferimus. Pariter cum mentes corporibus, mentibusque ipsis mentes alias dicimus perfectiores; entitates attendimus earumdem. Denique quę perfectio rei a natura sit, naturalem; quę verò ab arte, artificialem vocamus. Ex quibus haud difficilis quęstionis ejus modus esse videtur utrumne Deus mundum, ideique homines his, quos condidit perfectiores possit efficere. Si namque rem ne istam quisque consuleret; entitate respondere quidem posse, ordine tamen ac fine non posse.

Denique quod infinitè perfectum est, modo schola omnis duplici accipit. Cui namque rei nulla desit perfectio, ut ita dicam possibilis; eam infinita vocant extentione perfectam; vel potius infinitè extensive perfectam. Cujus autem perfectiones singulę sic prestantes sunt ac egregię ut suo in genere augeri possit nulla, vel amplius percipi, ea dicitur infinitè intensive perfecta. Se finis

esto perfectionis. Proximam esse quidem veritatem perspicio, sed cum de illa nobis longus fuisset in Logicis sermo, nihil est opus quicquam nunc de ipsa exponere, vel precipere.

Veritatem consequitur bonitas, quae absoluta relativave dicitur. Superior quam et Metaphisicam vocant, in ipsa rei entitate consistit; quippe quae nihil est aliud, quam rei essentia ipsa natura vel entitas, verbo ipsamet rei praestantia. Cumque ob id res quaeque intellectu hocce sit bona, quia est id quod est esse debet, ut essem plari ejus sempiterno conveniat, rei cuique sua sibi est bonitas, sua praestantia nullique ullum est oppositum malum.

Relativam autem bonitatem habere, quid quid, ut conservetur, et perficiatur, seu conservari, ac perfici possit absoluta rei bonitas, efficit. Sic ea sunt bona, quae fortunae dicuntur: cum enim in se absoluta sit bona, ad nos tamen relata, non bona modo, sed mala etiam esse profecto possunt. Multis enim nocuit pulchritudo, aliis salus, plurimis opes; quibus quidem

omnibus quod alii non abusi, sed benè sunt usi, non dam num, sed profectum ac utilitatem ex illis aurere. Quid quid bono adversatur alicui, malum dici debere quis ne ciat?

Morales nobis restat bonum, et malum, nam et vitiosiositatem, maliciamve possit classis ista susci pere: utinam, iterum utinam eam minimè pateretur. Jam Morale bonum convenientia est liberae actionis cum lege; malum autem oppositum, scilicet Morale actionis est liberae à lege disjunctio, difformitas, discrepantia. Ex quo emergit, nec malum, nec bonum esse posse ullum Morale; si omnis ad libertatem, si omnis ad legem res pectus de medio tolletur, ut patet.

Similia deindè vocantur, haec sunt inter ipsa communia, et quae res differre discernique solent, quaeque plura ex illis attributis habebunt communia, sive pauciora; eo magis erunt, vel minus similia. Ex quo id fit, quod velim quidem propter perspicuitatem tacere, sed dicam tamen nequis fortè vestrum quaeratur, dissi milia ea esse, ac dici debere, quibus nihil est prorsus.

intersemet ipsa comune.

Tum de ordine ac pulchritudine. Et ordo quidem est multarum ut permanentium, sic succesivarum ut dicitur, rerum ita connexa series, ut antecedentia spectent attingantque consequentia; hęc illorum finis, et terminus sint, sed omnia tamen ad communem finem aliquem quo directa sunt annitantur. Exigit bonus omnis ordo, ut res via et ratione disponantur: breviore, faciliore sua viore, utiliore. Plurium autem ordinum similitudo dicitur proportio, quam eo libentius transivit oratio, quod in nos tris de rerum natura libellis explicata sit, inque aliis Geometrarum libris videre si juvat, poteritis.

Superest pulchritudo, quę cum nihil aliud sit, nisi apta rei partium attributorumque convenientia; cumque alias fame nomine idemque pene ex Tullio a nobis descripta sit, nihil hic amplius de illa dicendum putamus. Et quoniam ea omnia, que Ontologia continentur, vocabula deffinivimus, aut certe, ut optime potuimus; explicare, ac describere sumus conati nunc instituti ratio operis, postulare videtur, ut et quędam quasi pos-

tulata constituamus, et axiomata deinde nonnulla, quæ propositionibus quibuspiam Ontologicis conficiendis demonstrandisque viam sternam: ut Matematicos scilicet imitemur, qui à definitionibus exordiuntur axiomata deinceps, et postulata subjiciunt, quibus si in Matesi mixta versentur, observationes sugerunt, et pericula; quibus sic quæ Theoremata, et Problemata vocant, superstruunt, ut ubi è re nata visum esse videtur, ibi corollaria et scholia subnectant.

Caput Sextum.

Postulata quædam, et Axiomata continens Methaphisica.

Illud ergo nobis est initio postulandum, quod rationi maximè videtur congruere: ut ex ideis, quas habent homines, in philosophicis disseratur tota siquidem hominum cognitio suarum idearum ambitu definitur. Ex quo fit ut quisque illa esse debeat scientia contentus, quæ ab ideis ejusmodi proficiscitur, in philosophia videlicet, si quis ergo ea nobis in philosophicis afferat, quæ extra idearum nostrarum censum sit posi-

modone Deus ille sit, ejusve spiritu afflatum esse constiterint; eum deceptorem, et si forte ita loqui liceat, impostorem habete. Itaque hæc ego vobis arma relinquo, et veluti lego, ut eorum, qui Fanatismum depereunt, ingenium compescatis.

Postuletur id etiam quod nisi postulandum sit, nihil puto dignum est postulatu: ut ea tantum certa habeantur quæ aut perspicua intuemur conscientia, aut perfecta omnes demonstratione concludunt: brevius adhuc, et dilucidius; ea solummodo indubia, et certa habenda, quæ pugnet ita non esse. Qui enim huicce lydio veri lapidi sit ausus diffidere (quosdam autem id peccare scio) eum non Philosophum amantemve sapientiæ dicendum existimo; sed philosophiæ, totius scientiarumque omnium eversorem. Neque vero tam sumus ab historia Philosophiæ alieni, ut nos lateat, hanc fuisse scepticorum scitam decantatamque sententiam, nulla prorsus esse, quæ ut vera affirmare possemus; esse tamen probabilia nonnulla, hoc est, quæ ad verum proxime accedere viderentur. Fuxerunt etiam

vel ignari simus Pyrrhoniorum, qui eo Acatalepsiam Ἀκαταληψίαν. illam provexere, ut rationem veri a falsi internoscendi nullam prorsus esse contenderent; quibus non desunt hocce tempore, qui omnia vel omnino negantes, vel in dubium saltem revocantes assentiantur. Scimus quidem inquam hęc omnia. Sed haud scimus, an nec de insanis hoc ac freneticis sit credendum, ut nihil prorsus sciri, nihil comprehendi posse non ore tenus, sed ex animi sententia pronuntient; cum id tam sit intima cum conscientia repugnans, quam quod maxime.

Quid, quod Laertius, testis hac in re valde locuples, sensibilium quidem rerum veritatem sed non intelligibilium ab scepticis negatam scripsit. Ut utergo Schola hęc non philosophorum sensuerit, sed pace vel Academię dixerim, vel Pyrrhonis hominum delirantium; quoniam multa nos mente complectit, dubitari certe non potest; ut omnis, sive recens nata sive senior sive vetustissima tandem Philosophorum secta, argumentum sibi posuit aliquod veri

certissimum, quo tuta esse posset quæcumque assereret vel negaret, ita re vera esse, ut ab ipsa judicarentur: ideoque in suis se judiciis non decipi cerneret.

Argumentum autem illud erat Platonicis evidentia æternarum idearum intelligibilis, mentibus inditarum: quamobrem cum ejusmodi philosophi spiritalia, et intelligibilia scientiā cognosci posse putarent; corporata tamen ac sensibilia opinione solummodo teneri sanserunt: hæc namque mutabilia, et contingentia; nec illa necessaria, æterna, immutabilia dicebant. Scientia autem omnis rerum est necessariarum, ac minimè mutabilium.

Epicurus contra in sensuum, quos ille fallere, et falli nescios testes habebat, fide argumentum illud ipsum constituit. Quod fuit quidem in causa, cur visa omnia vera illi, et certa sint visa; licet in judicia, quæ illa consequuntur, ut veritatem sic falsitatem cadere posse concederet. Sic oculos, remum quasi fractum in aqua videntes, et ejusmodi menti nostræ, repræsentantes, cum re vera sit integer; ita prorsus

Epicurus docet illos ipsos videre, ac repræsentare quemadmodum officium poscit illorum: ideò, si quis hic error intercedat, eum judicio menti attribuendum, quæ sibi remum persuadeat fractum esse revera, ubi ille est, quo pacto apparere ibi debeat, oblita. Præclare in rem Augustinus Si quis, inquit, remum frangi in aqua opinatur, et cum inde aufertur, integrari, non malum habet internuncium, sed malus est judex. Nam ille pro sua natura aliter in aqua sentiri non potuit, nec aliter debuit. Si enim est aër, aliud est aqua, justum est, ut aliter in aere aliter in aqua sentiatur. (lib. de vera Relig. cap 33). Tertio autem contra Academicos libro capite undecimo, causa, inquit, accedente, quare ita videretur, si demersus unda remus, rectus appareret; magis oculos meos falsæ renunciationis arguerem: non enim viderent, quod talibus existentibus causis videndum fuit. Sed quod dicebam, visa sensationesve Epicureis veri sunt argumentum, aut tesseræ: atque adeò prorsus Platonicis adversantur, qui non sensibilem, ut ante posui, sed intelligibilem adamant evidentiam, quam veri characterem putant esse certissim-

Platonem inter et Epicurum interest Aristoteles qui utramque evidentiam complexus, in sensibus rebus sensilem, in iis vero, quæ sensibus minimè subjiciuntur, intelligibilem perspicuitatem requirit.

Stoicis præterea, Zenonem secutis, argumentum illud ipsum imaginationum perspicuitatem fuisse Laertius tradidit in Zenone. Ex quo perspicitur, Epicureis, quam Platonicis propius Stoicos accessisse philosophos. Atque de vetustissimis, veteribusque excessimus. Recentiorum autem una omnium vox est. Rationem veri à falso certò internoscendi, evidentiam esse, perspicuitatem seu claritatem. At in duas tamen vias sic illi abeunt, et diffluunt, ut Epicuream nonnulli, alii Platonicam instaurare sententiam velle nitsque videantur. Superiores autem juniores sunt Epicurei, quibus viva quæque dilucida, hoc est ipsi loquuntur, sensationes claræ omnes atque perspicuæ, illius rationem rationis, argumenti, vel tesseræ habent. Alia philosophorum manus Cartesianorum est, vel potius Sanctorum Augustini, et Thomæ, Ma

lebranchi, pluximorumque philosophorum, qui sic exis timant, verav claravque ideav Vationev esse illam, vel argumentum; ità videlicet, ut vera legitimave apella ri debeat scientia ęterna in semetipsis, in suis vero causis facta cognoscere; scientię autem ejusmodi argumentum aut signum illius sit perspicuitas et claritas cognitionis. Quod si ęterna in se ipsis cognoscere, quid indicet, avetis intelligere; nihil esse aliud Vespondeo, ni si ea ipsa in suis immotis, et constantibus ideis, quę communi hominum Vationi adsunt, intelligere, et cernere.

Jam argumentum hocce Vationemve, quod Gręci Κριτήριον vocant, nos insigne tesseram, seu characterem, nisi displiceat, nominemus: eandemque esse perspicuitatem dicamus. Sed triplicem pro tribus Verum generibus distinguendam arbitror claritatem: pro intelligibilibus intelligibilem, pro corporeis sensilem, pro Ve bus autem historicis autoritatis: qua de Ve in Logicis disseruimus, preceptionesque adjunximus aliquas, quam ad trium ejusmodi perspicuitatum genera pertinen tes: quocirca hic plura non tradimus.

Sed objiciat quis fortè cum ea, quæ sunt fidei, sint obscura credenti, pugnantia loqui nos, quippe qui illo ralem posuerimus evidentiam eidem cum fidei evidentia recidentem. At qui sic Philosopharetur, quisquis esset eos trarius rei, qua de nunc disseritur, profecto legeret. Hic enim moralis perspicuitas id valet ipsum, quod fidei certitudo vel potius firmitas.

Optime, inquit, alius: at quoniam suus quisque tuetur errores, tueri se volet evidentia ipsa ut ipse quidem judicat, tametsi decipitur, ductus; aliquis ejusmodi perspicuitatis judex nobis et testis est opus, sapientior ille quidem ac integrior, quam ut sive decipi sive nobis imponere valeat. Ne is per quam scitus quæreret et objiceret. Sed duos ego testes produco quoad fieri potest incorruptos conscientiam scilicet intus cujusque unum, aliorum eorum qui recta utuntur ratione, prudenterque et sapienter audiunt concensum atque concordiam. Justitia nemo vereatur, ne in iis perspicuitate decipiatur in quibus perspicuitatem sapientium chorus agnoscit. Verum hæc in Logicis

sunt edocta.

Illud insuper postulandum, ne quis demonstrationi diffidat, cujus et principia evidentia sint, et necessaria complexio. Fit enim persæpe, ut ejusmodi conclusionibus non assentiamur, idque ob infantiæ, fantasiæque præjudicia, ut ita dicam inveterata. Nam et Solem multo majorem esse tellure, et intra nosmet ipsos videre nos corpora, colores, figuras, et animalia viginti, ut ajunt millionibus, piperis grano minora existere demonstratur; quin superari queat interdum nec a viris quidem philosophis, præjudicii vehemens dissuasio. Qui ergo vera quærit, qui eadem a falsis discernere nititur ei autor est Plato, ejusmodique Platonicus Augustinus, ut Phantasiam, ut sensus cohibeat. Nam cum in præjudicia, errores que plurimos deturbare nos et possint, et soleant; qui ad illa referunt omnia, ut Epicurei, ut Stoici, ut omnes quod ajunt sensistæ et Materialistæ fallacem veræ scientiæ inveniendæ viam insistunt: quapropter nisi itinere et tramite commutato, veritatem reperire certi

non possint.

Illud denique dignum quod postuletur maxime, ut in his, quę demonstranda suscipimus Metaphisica vel quod idem est Mathematica semper perspicuitas exigit, ac desiderari non debeat. Essentię namque cum reales factę tum intelligibiles, ac ętern[ę] nos latent: quare licet nonnulla de rerum existentia, abstractisque quibusdam affectionibus demonstrationes Matematicis comperes afferre possimus; de essentiis tamen fere nullam ejusmodi expectare, vel desiderare debetis. Quę namque demonstrationes essentias rerum attingunt, his quidem accomodantur essentiis, quas dicimus alias nominales; sed an et cum realibus nominales congruunt ignoramus.

Reliqua sunt axiomata, pronuntiata, veritates, primę vel prima principia, quibus certe omnibus quid a philosophis significetur vocabulis intelligis. Ecce duo igitur prima principia: idem simul esse ac non esse nequit; idem attributis pugnantibus constare non potest. Superius existentię rerum, inferius

essentiæ ipsarum, et propietatum primum appellate principium, ut loqui solet Scola, cognocitivum: alia enim cognitionis principia, ut olim dixi, sunt, alia compositionis Rerum, aut effectionis. Superius etiam principium Aristoteli, Aristoteleisque fere omnibus non primum modo est in semet ipso principium; hoc est, non modo ita perspicuum est ac dilucidum, ut nullius egeat probationis, quod multarum est veritatum commune; sed totius etiam humanæ cognitionis quasi subcrum, aut potius seminarium omnes in se veritates, quarum mens hominum capax est, comprehendens. Similiter Hamelius judicat, Thomatius, Corsinius, Bernejus, plurimi denique Metaphisici Recentiores clarissimi. Alii ut Schotistæ, hoc adoptant tanquam omnium primum: <u>ens est ens</u>: alii hocce aliud, <u>quidlibet est, vel non est.</u> Lokius hoc: <u>quidquid est, est; et quidquid est id ipsum, et nihil aliud.</u> Cartesius tandem hoc statuit: <u>cogito, sum igitur</u>. Hæc illi: ego autem cum Gerardo Titio (in arte cog: cap. 3) egregieque Genuensi (elementorum Metaph. p.1. c.1. pro

pos. 1. 2 sch.) sic habeo, vosque velim habeatis, esse quidem ista omnia veritates primas, aut prima prin cipia; id est, certiores, clarioresque veritates, quam ut in dubium valeant revocari: At nullum sic esse pri mum, sic generale, sic fecundum, ut in suo quasi sinu humanarum omnium cogitationum scientiarumque, ut ita dicam, semina complectatur. Hominum etenim cog nitiones, ut nemo non videt, ex Generalibus principiis primitus non emanant; sed à singularibus enascen tes, ad universalia post modo refferuntur.

Tertium jam verò accipitote principium: nihil sine causa in qua formaliter, ut ajunt, eminen tèrve continetur, efficitur, aut effici potest. Si nam que sine causa quidpiam fit ex semetipso fiat necesse est. Erit igitur antequam fiat, prius autem quam efficiatur, non est profecto: Erit ergo prius quam fit. Erit igitur simul, et non erit: quod pugnans esse per spicitis.

Denique: datum illud omne, vel sumptum habendum est impossibile, è quo pugnantia vere nas-

cantur. Nam cum hæc in illo, tamquam in causa contineantur; illud ipsum pugnantia contineret, quod quidem est, ut Græci dicant Αδινατον, impossibile. Ad quod sane principium perpendenda sunt ?otii? philosophorum sistemata; si enim ex illis pugnantia nascantur, abesse a veritate quamplurimum pronuntiabitur. Hac item via Manicheorum Deus impetitur, quem ipsi bonum simul et malum statuunt: quæ quis, quæso, conciliet? nullum tamen datum, vel sumptum, hipotesisve, impossibilis habeatur; nisi aut continere pugnantia demonstratum sit, aut inde manare.

Caput Septimum

Propositionum quarumdam Metaphisicarum demonstrationem complectens.

Quibus scilicet constitutis, nonnulla, quem ad modum sumus politici demonstrentur. Initio autem de possibilibus et impossibilibus sermo sit ad hunc modum. Uno dato possibili, infinita ipsi similia, possibilia sunt. Quod ita concludo. Id omne possibile est, quod esse non pugnat. Quod autem possibili est simile id esse non pugnat:

si namque pugnaret, simile, ut claret non esset possibi li. Uno igitur dato possibili, quidquid ei est simile, esse certè non pugnat. Infinita autem ea sunt, quę dato alicuipiam possibili, sint, ut est perspicuum, consimi lia. Relinquitur ergo uno dato possibili, infinita ejus dem generis non pugnare: atque adeò possibilia esse; quod erat quidem conficiendum.

Deindè finitę entitatis possibilia infini tę sunt infinita. Quod enim est entitate finitum, id perfici graduum progessione potest ad infinitum. Esse igitur possunt infinita entia distincta finitę videlicet entitatis. Cum autem uni dato possibili, infinita, ei similia sint, ut antè ostendimus, possibilia relinqui tur, finitę entitatis possibilia infinitè esse infinita.

Quod, licet luce ipsa luceat abundantius; exempli luce aliqua amplius collustretur. Sic quoniam triangulum verbi causa spatium est terno laterum nu mero circumscriptum, ideoque finito: efficitur, spa cium posse concipi quatuor, quinque, sex, septem late ribus terminatum; sic excurri posset ad laterum in-

finitatem. Ex quo fit, cum planarum, tum solidarum genera figurarum esse quidem innumerabiles: cum acies earum, triangulo exempli caussa, seu quadrato, infinita similia sint triangula, quadratave, possibilia; illud etiam fit, certaque ac perspicua consecutione perficitur, figuras omnes possibiles, tam quę planę, quam quę solidę nominantur, eas infinité esse infinitas. Quę cum ita sint, eadem et vos, Metaphisici mei, de generibus, speciebusque, ut ita loquar, entium, specierumque, ac generum quorumlibet individuis concludatis.

At plura infinitę entitatis entia possibilia non sunt. Si enim essent, specie, numerove differrent. Quod si ita esset, diversę, ut perspicitur, terminata esse deberent. Quę autem diversé sunt terminata, infinita nequeunt entitate pollere, quod ostendere nitebamur. Unum ergo infinitę entitatis ens esse potes solummodo. Sic licet infinitę possint esse figurarum species, ob id quia earum quęlibet spatio concluditur definito, quod infinite variari terminarique po

test, non tamen plura spacia sunt possibilia infinite, videlicet extensionis.

Preterea omni possibile est possibile alterum est oppositum. Nam ut esse si quidpiam, sic et non esse, concipi potest; alias possibile illud non esset, sed necessarium. Quid, quod omne possibile hoc potius est quam aliud? Ex quo fit, ut quodvis aliud esse id pugnet, quod illud est. Relinquitur ergo possibile omne alterum, sibi adversum, habere possibile: ut me esse, me non esse, Utrumque enim est eque possibile cum necessarius ego non sim.

Ex quibus optime concludetur, intrinsecus impossibilia infinite esse infinita: quod ita perficio; Possibilia infinite sunt infinita. Omni autem possibili respondent sibi oppositum alterum. Ea ergo infinite sunt infinita. Hec autem possibilia, que conjungi nequeunt, ea ipsa sunt, que intrinsecus impossibilia dicuntur: Impossibilia ergo ejusmodi infinite sunt infinita.

Illud etiam fit, possibilia duplo saltem

esse impossibilibus plura: quod ita concludo. Singula impossibilia binis saltem possibilibus, ut loquuntur, incompossibilibus constant: atque adeo quodvis impossibile in duo saltem possibilia dividi potest. Possibilium ergo numerus impossibilium numero duplo saltem est majus.

Emergit hocce preterea infinite quoque infinita ea esse impossibilia, quę ob id moralia dicuntur, quia Divina cum natura repugnant. Illud autem sic ostenditur. Quę possibilia infinite entitatis enti respondent, ea infinite sunt infinita. Omne autem possibile, ut sępe supra, alterum sibi oppositum habet. Possibilia ergo, enti opposita infinite profecto, infinite sunt infinita. Cum autem quę enti ejusmodi sunt adversa, ea ipsa impossibilia nominentur moralia; hęc infinita gaudere infinitate relinquitur. Duę itaque sunt rerum summe infinita quidem infinitate gaudentes, quas Deus, cum sit omnipotens nequit efficere. Unam scilicet intrinsecus impossibilium, ut potentię incapacium; alteram moraliter impossibilium.

et sua cum natura pugnantium. At Velinquantua tamen infinite infinita, quę Deus efficere, propterea quod est omnipotens, valet. Quę sane illis paradoxa videbuntur hominibus, qui ejusmodi Rerum contemplatione assueti non sint.

Efficitur denique infinite quoque infinita ea esse possibilia, quę mentis nostrę vim, et captum fugiunt: magisque, si ita forte loqui liceat, infinita esse, quę facere non valemus: quod tam est demonstratu facile quam quod facillimum. Jam enim Ratio nostra, quam si Res finitę sunt, suosque sibi prefixos terminos habent: Quę igitur extra illos sint posita, captu, factuque impossibilia sunt nobis. Quod cum a finitę entitatis limitibus ad infinitatem infiniti sint gradus, in quibus esse possunt infinite infinita possibilia constituta: efficitur ad evidentiam, infinite quoque ea esse infinita, quę extra Rationis nostrę captum, nostrarumque virium facultatem possibilia sunt posita. Infinite igitur infinita possibilia sunt, quę nec capere possumus mente, nec viribus

exsequi. Cumque multa quę intelligere quidem possumus efficere nequeamus; luculenter confectum est illud quod nos demonstraturos promisimus, magis adhuc, si sic loqui sinar, infinita ea esse possibilia, quibus efficiendis satis non sumus, quam ea sint, quę mente consequi non valemus. Et hęc de possibilibus hactenus. Reliqua demonstrentur.

Nihil citra rationem sufficientem essentię, existentię, possibilitatis est. Si enim quidpiam sine illa esset, e nihilo foret, quod esse non potest. E sufficienter quidem rerum omnium rationes odorari, primarique hominis est Philosophi. Rerum enim phenomenis contentus est populus, sapientię tamen studiosus in rerum caussas, et principia penitus debet inquirere, ne cum inscio, et ipse populo confundatur.

Ad hęc: factorum entium existentię sufficiens ratio in eorum causa; essentię vero suis in essentialibus proxime, remote vero in ipsa eorumdem causa locata est. Facta siquidem a semetipsis effecta non sunt; Eorum ergo causa efficiens rationem, cur

sint, contineat necesse est. Intrinsecę autem possibilitatis rei sufficiens ratio suis in essentialibus reperitur, quę conjungi inter semetipsa possunt; extrinsecę autem in externa residet causa, illius essentialia conjungere, et consociare valente, quemadmodum jam pridem intellexistis. Pariter de impossibilitatis ratione habete, quam persequi propterea supersedeo, quod ejus sit cognitio perfacilis.

Omne insuper ens contingens est, vel necessarium; cum aut factum sit, aut infectum; nihilque inter utrumque medium reperiatur. Jam factum omne contingens esse, infectum contra, necessarium, in perspicuus est. Quod ad possibilia spectat, ea necessaria habenda, si intelligibiles respiciantur essentię, quas ęternas esse, necessarias scitis. Sin autem possibilia, quatenus possibilia sunt spectabuntur, hoc est, si ad existentiam eorum possibilem referantur, pro contingentibus sunt habenda: hoc namque intellectu eas externa pendent causa sufficientem illorum rationem continente. Quidquid autem eo alio, ut exis-

tat, pendet, est re vera contingens, ut patet. Possibilia ergo si ad existentiam, quam ab externa causa accipere possunt, referantur, contingentia dicenda sunt.

Deinceps sufficiens conservationis ratio eadem est, atque existentiæ: cum conservatio nihil aliud sit, quam existentia rei alicujus continuata. Ex quo sequitur, ut qua virtute quidpiam existit; conservetur eadem: quæque se conservare non possunt, nec existere semetipsis valeant. Quapropter sufficiens existentiæ conservationisque contingentium ratio extra ipsa est posita contingentia: ob idque tam est repugnans, contingens aliquod in se sufficientem existentiæ suæ conservationisve rationem habere; quam esse simul, et non esse, quod est intrinsecus impossibile.

Addendum huc est, infinitam contingentium seriem citra necessarium ens aliquod, e quo pendeant, repugnare. Cujusvis enim contingentis essentiæ, existentiæ conservationis sufficiens ratio est,

ut supra confecimus in alio constituta. Omnium igitur contingentium sufficiens ratio est extrinsecus repetenda. Si autem necessarium ens aliquod non existat, sufficiens illa contingentium ratio erit in nihilo, ideoque nulla: cum nihilum rei nullius sufficientem possit habere rationem.

Quid, quod de nihilo nihil oritur? Neque mundus objiciatur, quem è nihilo factum Scripturę Sacrę testantur. Qui enim ejusmodi argumentarentur, inepta prorsus objiceret. Id namque sibi volunt scripta Divina sic à Deo mundum esse confectum, ut nihil ejus extra Deum, priusquam conderetur existeret. Clarius agam: è sui nihilo primique subjecti factum; non vero ē nihilo causę: cum in infinita conditoris ratione, potentiaque omnipotente, eminenter, ut dicitur, contineretur. Quo sane argumento totum corruit Democriticum fatum. Ac eodem usus est Aristoteles, Eximiusque Aristoteleus Sanctus Thomas tum primo contra Gentes libri Cap. 13, tum alibi, ut primam quamdam motuum omnium ęternam, et immutabilem causam; ideoque

ens aliquod necessarium omnino, ac ęternum existere demonstrarent; esseque in repugnantibus infinitam progressionem caussarum.

Hoc igitur ens, cum ęternum sit et necessarium, naturę suę necessitate et existit, et pergit existere. Totum preterea simul existit, successionem in semetipso Physicam nullam agnoscens. Nam quod suę naturę necessitate, id non contingens, sed ęternum est ac independens. Nisi ergo totum una sit, aliquid illi erit ęternum, aliquid non ęternum: quod ex ipsius ęterni entis essentia manaret. Si autem hoc non ęternum ex ęterni entis ~~essentia manaret. Si autem hoc non ęternum~~ natura procederet, contineretur eadem: cumque inde nisi per essentialem, ut ajunt, emanationem fluere non posset; in essentia illa ipsa formaliter contineretur. Prius ergo quam inde procederet, esset: et esset quidem, ex quo essentia illa inde fluere poneretur, existeret, scilicet ex ęternitate. Ęternum esset igitur, et non ęternum idque simul: quod nemo dubitet esse pugnantia. Quod ergo

enis suę necessitate naturę sit; id totum simul existit; nullaque in eo statuum esse potest phisicorum successio; atque adeò est penitus immutabile.

Preterea cum illud ipsum enis sufficientem contingentiam omnium rationem contineat, infinita polleat entitate, necessum est. Quod enim sufficientem continet infinitè infinitorum rationem, entitatis est videlicet infinitę. Quod autem contingentium rationem continet sufficientem, infinitę habet infinitorum rationem ejusmodi; cum omnium contineat rationem possibilium, quę si ad ipsorum existentiam possibilem respiciatur, sunt, ut est perspicuum, contingentia. Atqui possibilia infinitę sunt infinita, ut iterum, ac sępius diximus. Contingentia igitur eadem gaudent infinitate.

Deindè cum ęternum illud enis necessarium, et infinitum, sit etiam immutabile, quod ex ejusdem necessitate conficitur, simplissimum, ut ita dixerim, sit quoque necesse est. Omnia namque composita, mutabilia, ut claret, sunt. Si abesse debet compositio. Est igitur maximè simplex imò tex maximè texque valdè

si ita forte loqui Latinus sermo patietur. E quo exo-
ritur, ut contingentia esse nequeant, ęternę illius sub-
stantię attributa, partes, vel modi. Est enim ipsa per quam
simplex, est immutabilis, est necessaria e nullo pendens, et
infinita: at illa compositione constant, mutationibus sunt
obnoxia, definitam sortita sunt perfectionem, quam ab
illo ęterno hauriunt totam, ut a fonte perfectionum pos-
sibilium omnium infinito. Substantia denique illa ipsa
omnibus est infinite perfecta; cętera infinite ab infinita
perfectione remota. Sed quorsum hęc spectant; quove
ista tam prolixus deducta rationibus? Horsum scilicet
ut impiam nefandamque Spinosę ac Tolandi non senten-
tiam dicam, sed amentiam, deliramentum, et blasphemi-
am, aut si quod est scelerations, flagitiosius aut exe-
crabilius proculcaremus.

Impossibile pretorea est, idque intrin-
secus, attributa vel modos sua sine substantia consis-
tere. Quod enim pugnantia continet, id est, ut scitur, in-
trinsecus impossibile. Attributa autem aut modos sine
sua esse substantia, pugnantia continet; cum modorum

attributorumque sit, ex aliqua intrinsecus pendere substantia. Sic nulla fieri potentia valet, ut sine re, quę moveatur, motus sine extensione figura; sine re, quę extendatur extensio; sine principio tandem aliquo activo quidem, et efficaci actio ulla consistat. Nullo igitur modo quit fieri, ut sine substantia modi, vel attributa consistunt. Plurimi ducenda vobis est propositio, quod magni sit in philosophicis usus. Atque id ex illa sequitur, praeter ęternam, factas esse substantias, adversus eos videlicet, qui de omnibus dubitant rebus. Sine substantiis enim qui possent tot attributa, tot modi, quot cernimus, et sentimus existere: qui cum infinite perfecti non sint eternę infinitęque substantię esse nequeunt perfectiones.

Deinde facta quoque substantia simplex est; quoniam e re nulla pendet intrinsecus, ut corpora, quę cum e componentibus pendeant, e substantiis conflata potius, quam substantię dici deberent. Itaque substantiam omnem simplicem esse, nulliusque compositionis participem. Phisicę, certum mihi est, ratum et fixum. Quę quidem et Platonis sententia fuit, et recen

tiorum memoriæ nostræ multorum est, corpora differentiam impropiè tantum dici substantiæ; cum substantiæ non sint, sed ex substantiis, quæ simplices esse debent constitutæ. Quod in phisicis me delibasse recordor. Itaque etsi liceat vulgo corpora vocare substantias; philosophis tamen vetitum hoc esse contendo.

Essentiæ insuper, quas vocamus ΑΡΧΕΤΙΠΑΣ intelligibiles et æternas divinæ mentis intelligentia contineantur, quæ ens est simplex; unum, æternum, et immutabile; sunt etiam immutabiles, et æternæ: contra factæ cum æternæ non sint, cum è nihilo sint effectæ: sunt, ut est perspicuum, mutabiles. Nec ullus objiciat Αρχετιπε immutabiles sint, factæ vero rerum essentiæ mutabiles; ~~sint~~ mundum istum factum æterno, et intelligibili, quem Deus in semetipso, ut ita dicam, habet, minimè respondere; seu, quod reddit eadem effecta æternis suis ideis, vel, ut Augustinus loquitur, rationibus non esse conformia. Nam ut immotæ ejus manerent ideæ, qui, postquam figuras omnes quorumdam numerorum possibiles concepisset, easdem sic ab alio effici cerneret, ut antece

dentes à consequentibus delerentur: sic omnes facti mundi vicissitudines immotis Dei Op. Max. rationibus vel ideis continentur.

Itaque nemo dubitet, omnes in Deo res esse creatas, ut enim Beatus Thomas inquit Aquinas pri ma parte quest 4. art. 2 in O, quidquid perfectionis est in effectu, oportet, inveniri in causa effectiva:::: Cum ergo Deus sit prima causa rerum effectiva, oportet, re rum omnium perfectiones in Deus preexistere secundum modum eminentiorem. Sunt igitur in Deo res factę. Quo tamen sunt modo? formaliterne, ut ajunt? hoc est, sic ut ipse factorum perfactorum perfectiones similiter in Deo ac in ipsis, reperiantur? Absit. Id enim, nisi Deum in rerum natura miscere velimus, ideoque Panteismam profiteri, dici non potest. Sunt quidem in Deo omnes res factę; at sunt tamen, ut dici solet, laudatusque Doctor ait Angelicus eminenter: in Dei videlicet intelligen tia, quod à Deo intelliguntur; in ejusdem autem virtu te, quod ab ipso fieri possunt et quęque sunt, ab ipso sunt facta.

Ac hęc ut os Spinosę precludamus, substantiam à substantia creari posse neganti; id esse per quam possibile, concludamus. Alię preter ęternam, infectamque substantiam substantię sunt factę ut ante confecimus. Atqui ex nihilo hoc est sine causa factę non sunt, cum id pugnans esse constituerim: nec ab eo, quod substantia non sit, substantia queit fieri, ut patet. Sunt igitur ab aliqua effectę substantia. Quod si ita est, substantiam unam quamlibet ab alia fieri posse relinquitur.

Deinde ut alia ejusdem Atheistę horrenda prorsus dogmata profligemus; nullam contendo substantiam fieri ab alia posse per emanationem, ut dicitur, essentialem. Ad hunc igitur modo philosophor. Substantia omnis est simplex. Nihil autem ab eo quod simplex est, extra emanare potest; secus enim non esset simplex. A nulla ergo substantia extra manare queit alia. Manaret autem, si per essentialem fieret emanationem. Non sic igitur fit, vel fieri potest. Quid, quod si qua substantia ex alia essentialiter, ut ajunt, emanet; in illa formaliter contineatur oportet: ideoque pars

ejus sit, modus, vel attributum; non autem alia substan
tia, ab ea, unde profecta esset distincta. Itaque quicum-
que mundi creationem à Deo per essentialem emanatio
nem dixerit factam; eos discrimine quidem nullo dici
te, habeteque Panteistas. Isti enim, ut creationis rationem
explanem araneæ utuntur exemplo, rati, ut hocce ani
malculum suo è sinu telam educit, exuit, ac evomimit:
Sic Deum ipsum è suamet natura mundum extrahere.
In qua quidem amentia non antiqui modo Chaldei fuere
Ethnicique nonnulli; sed sunt quoque hisce nostris tem
poribus Persæ, sinensesque plurima, his itaque hosti-
bus develatis, jura dare pergamus. Contingentes substan
tiæ è sui, subjectique nihilo ab æterna substantia
sunt factæ. Ab alia enim factas esse debere substan
tias, perfectum est supra. Cum autem progressus pro
ducentium substantiarum infinitus repugnet; ut ab
æterna sint factæ substantia, relinquitur. Per essen-
tialem autem emanationem esse non posse constat:
È sui ergo è subjectique nihilo. Sic nempe, ut ejus mo
di substantiarum nihil extra causam existeret effi-

cientem, antequam fierent. Sunt igitur ab illa e sui subjectique nihilo conditę. Atqui tamen Dei e nihilo productio fiat, misterium sane est humanę captum mentis penitus vincens. Quo circa Ethnici, qui fidei jubar non assulsit, cum illud minime caperent, spiritualia per essentialem a Deo emanationem fluxisse, materiam autem ęternam esse censuerunt. Itaque cuncta a Deo e nihilo condita ratio ipsa nos admonet: quin imo edocet, assentiri compellit, dubitare non patitur: sed qua tamen via id sit factum quove pacto ad Dei nullum ad ejus unius imperium (ipse namque dixit et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt ateistante profecta) res factę sunt omnes, nescimus.

Cum autem illius ęterni entis voluntas sit, ut ita loquar, infiniti potens, satis est ejus ipsius velle, ut quę velit, ipsa nascantur, et fiant, et esse permaneant. Entia namque contingentia, propterea que finita sunt aliqua quorum voluntas est satis ut motus aliquid creantur, tantum omnino, quod velint: cujus rei luculentissimum in nostris illis motibus,

quos diximus voluntarios, reperitur exemplum. Si ergo finitę rei finita fiunt voluntate nonnulla, quid quęro, ejus efficere possit voluntas, quod infinitę sit entitatis: ut unus est Deus? Quidvis sane aliud potius crediderim, quam qui est omnipotens, Eum tantum quod velit, quęcumque velit, efficere non valere. Sed tempus est evolvendę relationum doctrinę. Qua de re id principio constituo: quę realis dicitur relatio, eam in rei essentia esse locatam. Relatio siquidem nulla sine ratione illa, qua constituitur, esse potest. Hęc autem ratio, si erit arbitraria, aut rationalem, aut moralem relationem constituet. E quibus intelligitur, ut quę ratio relationem constituat realem, ea esse nequeat arbitraria. Quod si est ratio, nec tamen est arbitraria natura ipsa constet, naturaque ipsa sit innixa, oportet, ac fulcta. Realis ergo quivis ordo, realis omnis relatio in ipsa rei essentia fundamentum habeat necesse est. Illud etiam fit, ut similitudinis, et dissimilitudinis relationes, identitatis, et diversitatis reales sint. Entia namque similia dissimiliave sunt, eadem vel diversa similes

dissimiles re essentias, aut proprietates. Fit illud præ
terea, Relationes ejusmodi iisdem Rebus, inter quas sunt
manentibus interire non posse.

Ad hæc Rerum mundi cum conditore
Relatio non modo essentialis illius est, verum etiam tota
ipsarum perfectio. Nam cum Res universi contingen
tes sint, omnes æternæ causæ actiones et sunt, et con
servantur. Essentialis ergo illis est dependentiæ æter
na ex causa Relatio. Quod circa si hanc e medio to
llemus, non solum perfectæ esse non possunt; sed nec
esse quidem, ut est perspicuum, verum de Relatione
quod satis est, ego mihi videor declarasse: univer
salia, quæ jam nos operiuntur, inspiciamus,

Omne itaque ens, tam quod est simplex,
quam quod simplicitatis est expers, unum esse, et sum
mo Philosophorum omnium consensione fulcitur,
et initio fere libri hujus explanatum reliquimus, hoc
potius esse debere, quam aliud idque per essentiam,
quæ est una, intrinsecaque Rei forma, qua Res est
ipsa, quod est. Sed in Re morior cuique perspicua:

ad difficiliora aggrediamur.

88 Nullum itaque unum in rerum esse natura constituo, quod universale sit, nam aut esse dividuum, aut individuum. Si dividuum esse ponatur, unum videlicet non fore, perspicitur. Sin autem, per semetipsum constarent, ideoque singulare, non genera le futurum, relinquitur. Quid, quod si unum illud indi viduum universale ponatur; ipsum semetipso existe re ut substantia; cętera ejus essent modificationes, unaque propterea mundi substantia solummodo habe retur: quod in Spinosam perspicue repugnare confecimus.

Age, quod restat, in Fatalistas, ut dici tur, invehamur. Et primum quidem Spinosę fatum nu llum esse, concludo. Fatum namque illud series rerum est infinita à Dei natura necessario emanans. Quę autem extra Deum sunt, nec ab ejus manant essentia, nec fiunt necessitate, sed liberrima Conditoris, ut antè perfecimus, voluntate. Series ergo illa nulla est: atque adeò Spinosę fatum nullum esse concluditur.

Nullum est etiam Stoicorum fatum,

quod ita conficio. Fatum hoc causarum est ordo, qua rum alteram determinat alteram, et cujus ordinis Deus ipse sic caput existit, ut quæ fata semel scripsit ea semper sequatur; atque et ea scripserit necessario. et necessitate sequatur. Jam si hocce fatum existat; nihil in nostra, nihil etiam in Divina exit positum potestate; cum et Deus, et nosmetipsi, necessitate constricti, quidquid à nobis fieret, faceremus. At esse nostra in potestate nonnulla, in divina vero universa, certissimum. Stoicum ergo fatum nullum est prorsus, quippe quod tum Deo, tum nobis libertatem eripiat.

De fato autem Democritico nihil est, quod illis addamus, quibus solum Deum æternum esse; cætera vero, quæ Deus non sunt, ab ipso summa facta libertate conclusimus. Similiter Peripateticum labefactatur, et corruit fatum. Cum Aristoteles mundum ex æternitate à Deo necessario conditum posuisset: quod, ut dixi, memineritisque, omninò pugnare, antè confeci.

Stultum illud etiam fatum est, quod nominant Astronomicum, de quo, cum vocabula definiremus, nihil attigimus. Vetutissima gentium fere omnium opinio fuit olim, estque hodie Turcarum, Persarum, Indorumque, et aliorum hominum humana omnia ingenia influxu, vique siderum inexorabili fato regi, ac dirigi: quin etiam res sub Luna positas eidem fato subjectas esse universas. Sed hoc quid esse potest, vel dici absurdius vel amentius? Stultum iterum fatum esse Astronomicum dico. Nam sydera hominum animos, vel corpora vi regerent vel Phisica vel morali. At corporeã, vel Phisica certe non possunt; cum nihil agat inanimum, nihil nostros valeat animos permovere, nisi illis boni, malive species injiciendo. Quod idcirco ita est, quia quę nostrum permovent animum, id appetitu prestant, vel aversione: ut quę nec aversionem in nobis, nec appetitum ingenerant, ea nullatenus animos tangant. Quis autem appetitum posse ullum vel aversionem in nobis excitari putet, nisi boni alicujus, aut mali, quod ad nos pertineat, perceptione? Nam ut ignoti nulla cupido; ita et noti, quod nihil ad nosmetipsos

spectat. Ex quibus perfectum est, ea quibus circumdamur, nisi boni, vel mali species nobis injiciendo animos nostros commovere non posse. Astra igitur corporea vi Phisica vi hominum animos rapere, vel inclinare non potest.

Restat id unum, ut illos vi rapiant morali eatenus nempe, quatenus bona malave concipiuntur. At cum nemo unus hominum tam sit fatuus, ac stultus, ut sydera tamquam summum bonum, vel malum sibi valeat exhibere; cum illa vi rapere nequeunt infinita. Quod si ita est, hominum libertas Astrorum virtuti non cedit, aut cogitur. Nullam ergo vim nostris inferre animus sydera, nisi āmentissimi simus, et stultissimi, possunt. Cum autem Astronomicum fatum nihil ejus assertoribus aliud sit, quam syderum vis nobis illata, relinquitur, esse certe illud inter inepta, et absurda omnia, ineptissimum, et absurdissimum.

De Muhamendano autem fato, cum illud absolutam in res omnes necessitatem inducat, quarum plurimę libertate sunt predite; compteptu est,

et improbatione multandum.

Quid ergo, ut me quæritis? estne fatum aliquod, necne; ego autem sic respondeo, ut si ea fatalia dicantur, quæ præter Dei voluntatem, et hominum cujusdam ordinis necessitate contingant, nihil est penitus fatale, nullum penitus fatum; cum sapientiam Dei summam providentiamque nihil effugiat; cumque sint homines libera omnes libertate donati.

Quod si quis ordinatissimam Dei voluntatem, et potestatem vocare fatum velit; modo linguam corrigat, ut mei utar vocabulis Augustini; sententiam illi suam tenere licet, sicque fatum admittimus; sed hoc illud est ipsum, quod Eximius, facundusque S. Boetius quarto de Philosophiæ consolatione libello prosa scilicet sexta definit, cum fatum esse ait immobilem rebus mobilibus inhærentem dispositionem, per quam providentia suis quæque nectit ordinibus. Idem fatum Doctor docet Angelicus (1 par. quæst. 116 art. 1) Idem fati genus Chris-

tiani uno omnes ore tamquam precipuum Religio
nis Christianę fundamentum adoptant: quippe qu
od nihil re vera sit aliud, nisi secundarum ordina
tio causarum ad effectus divinitus intentos, ut ipse
Doctor scribit. At id nihil à divina interest pro
videntia.

Habetur primum Metaphisicę
librum, quem sum pollicitus Orthologiam, Nunc
autem valetudini tribuamus aliquid, quo, animus,
assiduo trium mensium labore defessus, renove
tur, et revocetur ad reliqua.

Metaphysicae liber secundus.

Theologia naturalis.

Praefatio.

Nulla certè, juvenes, Metaphysicae, nulla totius etiam Philosophiae pars nec sublimior nobiliorvè Theologiâ, hoc est Dei scientia, ut graeca latinè reddantur; nec jucundior, nec rei nostrae salubrior, melior, vèl utilior. Quid enim per Deum Deo ipsi nobilitate, quid excellentia, dignitatevè conferendum? quid praeterea cuiquè dulcius, quam cum auctorem, educatoremq.ᵉ universitatis beneficentissimum tùm effectorem sui, et altorem, et patrem, et dominum, et custodem, et ducem, et summam deniq.ᵉ beatitudinem contemplari? Neque verò cultus ipsi consentaneus, et debitus tribuatur, nisi natura ejus et attributa perspecta et cognita habeant. Ex quo Theologiae non utilitas modo, sed necessitas patet. Ut illud omittam naturae legem, qua potissimùm officia humana reguntur, nec constitui, nec intelligi posse, si Supremus mundanae reipublicae moderator à hominibus ignoretur. Quid, quod divinae sapientiae, providentiae, bonitatis, justitiae, potentiae, misericordiae cognitio secundis in rebus timorem, spem in adversis nobis injicit saluberrimam; ne aut illis elati, et inflati, aut fracti his, et demissi, ne hoc, quod datum est, vitae

tae tranquillè, et placidè traducamus, et post interitum per-
petuò miseri lugeamus. Secundum primi contra Gentes li-
bri caput â vobis peto, et quaeso, legatis; mira enim hanc in rem
ut solet, Angelicus.

Optimè, inquit aliquis, si Deum consequi animo et cogi-
tatione possemus. At incomprehensibilis, ut et etsi barbarè non
υπερβολικος tamen sed verissimè dicitur, ipse est. Quaenam
igitur de illo scientia hominibus vera nimirum et fructuosa,
non falsa et inutilis? Nulla profectò. Cujus, adjiciat, argumen-
tum est maximum. Ethnica Theologia, impiis et absur-
dis plena dogmatibus; nec minùs Deo indignis, quam homi-
nibus perniciosis; fallacibus, quam ridiculis. At ni-
mia, propterea que imbecilla, imo nulla penitùs appro-
batio. Nullius enim disciplinae materia ulli est homi-
ni plenè nota, sed aliquantum: in malam ergo cru-
cem abeant omnes, atque ab hominum consuetu-
dine tamquam inanes verborum soni-
tus fallaciae, ac tricae concedant.

Ego equidem

Ego equidem infinitam esse Dei naturam, contra hominis mentem brevissimam fateor: ut mortalium nemo sit, imò mentium nulla factarum, cui perfecta, et ut ajunt adaequata illius esse valeat notio. Nec cognosci prorsus Deus potest, nec explicari: quamobrem incomprehensibilem eum dicimus, ineffabilem, ineloquibilem, inexplicabilem. At vero ipsum esse, eumq. sapientissimum, praepotentem, optimum, mundi auctorem atq. rectorem ex ipsa rerum natura vel bardus et plumbeus adorari certè potest et intelligere. Vt ergo nos divina lateant plurima, pateant aliqua, vera tamèn Dei scientia, et salubris, necessariaq. hominibus esse, atq. adeò Theologia stare relinquitur. At enim Ethnicus, inquit, delirat Theologus. Quasi verò Physicus, Medicus, aut Geometra non similitèr. Stat nihilominùs scientia naturae, Medicina, Geometria: quidni et Theologia habeatur? Nec verò Ethnici non multa de Deo scitè, ac rectè docuerunt. Verùm haec in medio sunt posita, nec longiorem ratiōnē requirunt.

Mihi autem vos jam dudùm sperare videmini, quidnam velim huc definitionis afferre. Scientiam igitur, quae in Dei cognitione atq. cultu versatur, Theologiam dicitote. Non enim tantùm speculatrix eorum est, quae divina vocantur, Dei scilicet, ejusq. attributorum, aut proprietatum; verùm etiam horum magistra, quae ad religionem,

hoc est, amorem, obsequium et reverentiam, supremae illi na-
turae, quae divina dicitur, debitam pertinent. Duae autem à
Theologis poni solent, naturalis una, altera revelata; non ob-
jecto, ut ajunt, non fine distinctae, sed fontibus, et initiis. Utraque
divinis in rebus Theologia versatur, naturalis attamen natu-
r ideis, revelatis altera continetur; illius principia è naturae,
hujus revelationis è fonte hauritur. Tertium Theologiae genus
additur, scholasticae, quae de Deo, divinisque è rationis et revela-
tionis principiis ratiocinari docens; naturalem et revelatam u-
naquidem ipsa complectitur.

Neque verò perfectus quisquam esse possit Theologus, om-
nibusque suis partibus expletus et numeris; nisi utrumque sibi genus
adjungens, et quae de Deo ratio patefacit, discat, et quae revelatio
docet, addiscat. Utrumque sequi se solitum Augustinus scribit: (lib.
3. cont. Acad. cap. 20.) Utrumque Theologo praecipit Sanctus Thomas
(prim. cont. Gent. per tot.) veteribus religionis Christianae Theolo-
gis concinens: quibus certum illud erat et fixum, rationem
ac revelationem duos quasi radios divini luminis esse, vel
linguas, quibus Deus nos ipse illuminat, vel alloqui-
tur. Atque cum semper illud oportuit, tum his prae-
cipuè

cipue temporibus est certe per opus, quibus caeci illi inflati, ac
delusi homines, qui Deistae, seu Naturalistae dicuntur, sacra
omnia scripta impia sceleratq. [illegible]u attentare non dubitant;
divina scilicet illa esse inficiantes, uniq. naturali rationi vel lumini
et primas, et secundas, et tertias deferentes. Hoc autem hostium ge-
nus, quibus nisi rationis armis oppugnari possimus? Mahometistae, 3. (1º contra
inquit Doct. Angelicus; et Pagani non conveniunt nobiscum in gentes 2º
auctoritate alicujus Scripturae, per quam possint convinci; sicut cap.)
contra Judios disputare possumus per vetus testamentum,
contra Haereticos per novum: hi verò neutrum recipiunt, unde
necesse est, ad naturalem rationem recurrere, cui omnes assen-
tiri coguntur.

Quod igitur nostra Philosophorum interest, id praestemus Theo-
logis scilicet (nam hocce vocabulo, qui sacra et revelata profiten-
tur, intelligi saepiùs solent) caetera relinquentes. Atq. cum prae
nostrae brevitate mentis, naturaeq. tenebris imperfecta et man-
ca naturalis Theologia sit; revelata verò multa amplior et per-
fectior, quippè cum longiùs et latiùs prophetia, revelatiovè, quam
ratio pateat: nihil cuiquam mirum, per paucula de divinis phi-
losophari nos velle, tam multa de his illis Theologis conscriben-
tibus.

tibus. Nos enim ratione agimus, illis revelatione rebus ... revelatione, rationem â nobis, ut ita dicam, philossophis mutuantes. Triplex enim est rationis usus in Theologia, ut de Deo, rebusq. divinis, quoad mentis humanae tenuitas patitur, ex naturae ideis disseramus, quod est Metaphysici Theologi munus: ut ipsas deinde naturae notiones, ratiocinandique artem ad revelata constabilienda, confirmanda, tuendaque dogmata adhibeamus: ut illa denique arte ipsa et in scriptis exponendis divinis, quoad licèt, utamur, et in conclusionibus ex scripturis eruendis. Theologiaeq. systemate contexendo.

Quod licèt adjeci, ne quis forsitàn tantum rationi ea inre tribuendum putaret, ut eam quasi normam haberet ac regulam, ad quam perpendi deberent fidei dogmata, ut probarentur, vel improbarentur; quo in errore maximo nonnulli memoria ipsa nostra praestantes alioquin viri versantur: sed ut id sibi quisque persuadeat, quod nos in aureis de Doctrina Christiana libris solertissimus edocet Augustinus, Disputationis disciplinam ad omnia genera quaestionum, quae in litteris sanctis sunt penetranda et dissolvenda,

ssolvenda, pluximum valere; ejusq. partem, quae conclusionum est, definitionum, et distributionum, pluximum intellectorem adjuvare. Hoc est: ad scripturam intellectus sanctarum, Conciliorum etiam, et Patrum detegendos, demonstrandos, et explicandos mirabiliter facere dialecticae praeceptiones: quod esse cuique sano patet, verissimum, quidquid Spinosa reclamet, cui rationis usus â religione et revelatione procul arcendus esse videtur.

Quam sanè in rem verba sunt Cani multa quidèm, sed gravitatis, et venustatis eximiae. Quid, inquit, interest, (libro noveno de locis Theolog. capit. quarto.) ratione animi sublata, non dico inter rusticum et Theologum, sed inter Theologum, et pecudem, aut saxum etiam, aut truncum, aut quidvis generis ejusdem? ... Nec fides se ipsa sola sine doctrina et ratione tutari potest. Nam Philosophia et omni ratione disputandi sublata, cum fide sancta rusticitas manet, quae ut Hieronymus ad Paulinum scribit, quantum vitae meritò, tantùm simplicitate nocet, si adversariis non resistat. Itaque vacillabit fides, nisi fidelis, quod Petrus ait, paratus sit reddere rationem: id, quod sola fide sine ratione fieri

ri non potest.

2. Theologia denique citra naturae rationem non constat. Cum enim sit homo rationalis, et illi ingenita ratiocinatio, sivè agat secum quid, sivè cum altero, sivè velit humana, sivè divina cognoscere. Quarè ubi homines desierint rationem naturalem repellere nec debent, nec verò possunt, nisi homines esse desierint. Ratio enim res omnes continet, quoquò te verteris praestò est, nulla disputatione excluditur. Quamobrem qui naturalem rationem ab usu Theologiae remotam esse volunt, ii omnem à Theologia disputationem excludunt: sine qua tamen, quid in unaquaque re verum sit, discerni et comprehendi non valet. Quocirca hoc quidèm constat, ut opinor, Theologis intèr Theologos necessariam esse rationem, qua est disputationis cujusque fons à natura constitutus. Quidquod gratia non tollit naturam, sed perficit, nec natura gratiam repellit, sed suscipit? Sacra igitur Theologia humanae naturae rationem non abjiciet.

3. Multa etiam in Theologiae principiis continentur quae nisi naturali ratione et discursu interveniente, inte-

lligi

llogi, et explicari non possunt::: ratio item si à Theologia submoveas, Theologia ipsa et rem amittet, et nomen. Neq. enim quidquam est Theologia si interpretari velis quam sermo ratioq. de Deo. Si autem rem ipsam quaeras, est, ut à veteribus Theologis definitur, rerum divinarum scientia. Scientia verò ut Aristoteles demonstravit, non nisi per syllogismum quaeritur. Quod si etiam illud addimus, quod rectè addi potest, nihil esse ferè, cujus in Scriptura Sacra mentio non fiat, non Angelum, non animam, non aërem, non ignem, non aquam, non coelum, non terram; concedatur profectò verum esse si ornatè, et eruditè et Theologus explicare velit, Philosophiam, hoc est, rerum hujusmodi intelligentiā eum habiturum.

(Dominicus etiam Sotus praefatione in librum de natura et gratia gravissimus ille quidem Theologus, similiter dissexit: sed longo ante tempore Clemens, Cyrilusq. Alexandrini, Graeci videlicèt Patres docuere. (lib. 2. Strom.) (lib. 11. in Julian.) Verùm haec, ut cernitis, nedum certa sunt, sed maximè luculenta, ut in illis diutiùs immorari non liceat.

Quocirca illùc, quo jam quidem deveneram, sed unde aberraveram reddeo, paucis me naturalem Theologiam cōplexurum,

plexurum. Duo namque huicce libello capita summa tribuimus; unum de Deo, alterum de Religione. Quod autem ad Deum spectat, id quatuor in articulos, aut membra partimur: de existentia, ut dicere solemus, ejus, et essentia primum; alterum de ipsius, ut entis, attributis; tertium de ejus attributis, ut mentis; quartum, ut Dei. Sed illud fore arbitror utilissimum ut priùs ea declarentur vocabula, quae loci hujus sunt propria, ne crebris vocum definitionibus interruptam orationem habeamus. Erunt igitur primae libelli partis quinque prorsus articuli. Secundae autem quatuor, sic ut de Religione in primis generaliter disseramus: de naturali deinde Religione, ac revelationis necessitate; post de Christianae Religionis veritate, ac divinitate: tum eorum, qui Deistae Naturalistaevè dicuntur, objecta afferamus, et diluamus. Ita novem omnino articulis, brevibusvè capitibus naturalis Theologia continebitur.

Caput primum.

De vocabulis ad Theologiam spectantibus.

Principio autem Deum mentem dicimus sempiternam, ab omni materiae concretione sejunctam, sapientissimam, praepotentem, beatissimam, universae rerum naturae fictricem, altricem, et moderatricem. Id profectò Dei vocabulo om-

nes

nes prorsùs intelligere adnimadvertite, quo scilicét melius quidquā excogitari non potest. Omnes enim, ut ait Agustinus, pro excellētia Dei certatim dimicant: nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quo caeteris omnibus anteponunt. (lib. 1. de Doct. Christ. cap.) Id Theologus sentit paritèr, ut Philosophus; doctus, ut indoctus; Christianus, ut Ethnicus; Catholicus, ut Haereticus; Theista demùm, ut graece dicam, omnis, ut Atheista: si, ut quam ejus vocis deffinitionem attulimus, ea sit è gentium omnium firmata. Quapropter, si rem, quae definitione illa ipsa describitur, revera existere conficietur, quod et aliàs fecimus, et faciemus; Deum esse constabit. Haec de Dei voce sint satis.

Providentiam autem, etsi in Ontologia descriptam à me esse memini, dilucidiùs tamèn exponendam hic, quo spectat potissimùm, arbitror. Ea est igitur rerum, quae sunt, omnium, eruntvé, praesentia, vel, ut Theologus loquitur, praescientia, dispositio, et rectio. Est, ut ait Nemetius (de nat. hom. cap. 43.) cura rerum à Deo profecta. Est, clarissimo deffiniente Boetio, ipsa divina ratio in summo omnium Principe constituta, quae cuncta

ta disponit. (de cons. phil. lib. 4. pros. 6.) Est, inquit Angelicus, ratio ordinis rerum in finem. (Prim. part. quaest. 22. art. 1 et 2.) Duo autem providentia, vèl cura, ut Beatissimus ipse Doctor ibidèm docuit, comprehendit; et ordinis rerum rationem, praesertionem, aut praescientiam, et ipsius ordinis executionem vèl dispositionem.

Quod ut optimè, quantum fas est homini, perspiciatis, sic habete: Deum ex aeternitate possibilia omnia, eorumque ordinē infinita sua intelligentiâ cognovisse; mundumvè ut pulchrè Boetium cecinisse alias diximus, sua in natura haesisse, sic ut et res universitatis omnes, et infinitas alias possibiles, et harum, illarumque ordinem clarè atque distinctè ex ipsamet aeternitate pervidexit. Jam ex ōnibus possibilibus rerū systematis, id efficiendū statuit, quod videmus, hunc scilicèt mūdū, cujus iē ïdividua ōnia praeviderat, et ïdividuorū naturā, et ordinē, et actiones cū efficiētiarū â se causarū, tum suimet ipsius, quibus ipse videlicèt hanc, quā ex aeternitate architectari decreverat, machinā, opusque pulcherrimū et absolutū esse deindè, cū nempè existeret machina ipsa, recturus.

Factus itaque est tùnc â Deo, cum Deo ipsi perplacuit, mundus; et ita prorsùs est factus, quemadmodùm sua eum in mente gestabat: hoc est, instar ejus ipsius mundi, quem Philosophi vocare solent intelligibilem, aeternis scilicèt Dei ideis (eas enim intelligi-

bilem

bilem illi mundum appellant) penitus respondentem. Quocirca qui mundus est factus, eo is ordine administratur, et regitur, quo divini in mente opificis continetur. Quibus ex rebus omnibus intelligitur, Dei curam et providentiam, atq. rectionem ad omnia prorsus, nec vilissima quidem rerum, exempta, pertinere: ut nè minimus quidèm capitis crinis, nèc velleris animalium pilus, nec agri herbula, nec arboris folium subduci valeat providentia.

Sequitur religio, qua quidèm voce Dei cognitio significatur summo erga ipsum amori, obsequio et servituti conjuncta. A relegendo Julius religionem putat vocatam, ac si lectam Dei notitiam, lectumq. ipsius cultum, reverentiamvè diceremus. Non enim, inquit, Philosophorum, verùm etiam majores nostri religionem â superstitione separaverunt. Nam qui totos dies praecabantur, et immò labant, ut sui liberi superstites sibi essent, superstitiosi sunt appellati: quod nomen postea latiùs patet. Qui autem omnia, quae ad cultum Deorum pertinerent diligentèr retractarent, et tamquam relegerent dicti sunt religiosi ex regelendo, ut elegantes, ex eligendo, â diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes. His enim verbis omnibus inest vis legendi eadem, quae est in religioso. Ita factum

est

est in superstitioso, et religioso alterum vitii nomen, alterum laudis. (lib. 2 de nat. Deor. cap. 28.) Severus autem Sulpicius, [illegible] robio religionem esse dictam tradidit, quae propter sanctitatem aliquam remota à se posita à nobis sit, quasi relinquendo dicta, ut à carendo ceremonia. (lib. 3. Saturnal. cap. 3.) Sed Tullium, quaeso, alterum primo cum Tullio de vocis hujus origine decertante audite: Lactantium me innuere voluisse putate, qui alter venustate sermonis Tullius dici debet, et à facundissimo Ecclesiae patre maximoque Doctore Hieronymo nominatur. Hac, inquit, conditione gignimur, ut generanti nos Deo justa et debita obsequia praebeamus, hunc solùm noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo religati sumus: unde ipsa religio nomen accepit, non ut Cicero interpretatus est, à relegendo, qui in libro de natura Deorum dicit ita::: postquam autem ea ipsa Tulliana, quae proximè à nobis sunt allata, subnectit, haec interpretatio, inquit, quam inepta sit ex re ipsa licet cognoscere. Nam si in iisdem Diis colendis et superstitio et religio versatur; exigua, vel potiùs nulla distantia est. Quid enim mihi afferet causa cur precari pro salute

salute filiorum semel religiosi; et idem decies facere, superstitiosi esse hominis arbitretur? si enim semel facere optimum est; quanto magis saepiùs? Si hora prima, ergo et tota die; si una hostia placabilis, placabiliores utiq. hostiae plures, quia multiplicata obsequia demerentur potiùs, quam offendunt. Non enim nobis odiosi videntur ii famuli, qui assidui, et frequentes ad obsequium fuerint, sed magis chari. Cur igitur sit in culpa, et nomen reprehensibile suscipiat, qui aut filios suos magis diligit, aut Deos magis honorat; laudetur autem qui minus?

Quod argumentum etiam è contrario valet. Si enim totas dies precari et immolare, criminis est; ergo et semèl. Si superstites filios subinde optaret viciosum est: superstitiosus igitur est ille, qui etiā rarò id optaverit. Aut cùr vitii nomen sit ex eo tractum, quo nihil honestiùs, nihil justiùs, optari potest? Nam quod ait, religiosos à relegendo appellatus, qui retractent ea diligenter, quae ad cultum Deorum pertineat: cùr ergo illi, qui hoc saepè in die faciant, religiosorum nomen amittant; cùm multò utiq. diligentiùs ex assiduitate ipsa relegant ea, quibus Dii coluntur.

Diximus nomen religionis à vinculo pietatis esse deductum, quod hominem sibi Deus religaverit, et pietate constrixerit;

truxerit; quia servire nos ei, ut Domino, et obsequi, ut patri necesse est. Melius ergo id nomen Lucretius interpretatus est, qui ait, religionum se nodos exsolvere. Superstitiosi autem vocantur non qui filios suos superstites optant (omnes enim optamus) sed aut ii, qui superstitem memoriam defunctorum colunt; aut qui, parentibus suis superstites, colebant imagines eorum domi, tamquam Deos Penates. Nam qui nova sibi ritus assumebant, ut Deorum vice mortuos honorarent, quos ex hominibus in coelum receptos putabant; hos superstitiosos vocabant. Eos verò, qui publicos et antiquos Deos colerent, religiosos nominabant. Sed cum veteres quoque Deos inveniamus eodem modo consecratos esse post obitum; superstitiosi ergo, qui multos ac falsos Deos colunt: nos autem religiosi, qui uni et vero Deo supplicamus. (lib. 4. div. inst. cap. 28.) Multa quidem, fateor, sed multò sanè pulcherrima.

Ego autem etsi Lactantio potiùs, quam Tullio hujus de vi nominis assentior; puto tamen religionem, et à relegendo et à religando vocatam: quippe quae nec quidvis sit cultus, sed lectus, specialis, divinaeque naturae dignus et consentaneus; et virtute illa ipsa, quodam amoris, timoris, et obsequii quasi vinculo

culo, cum Deo, ut ita dixerim religamur, atque constringimur. Veteribus autem latinis pietas erat quidem, sic à religione distincta, ut internos amoris, obsequii, timoris, speique actus pietatem; externam autē pietatis testificationem, consentaneis quidem signis exhibitam, dicerent religionem.

Jam vero quaecumque de vi nominis sententia diligatur, illud apud omnes constaret, illud fixum, ac immotum manere debere cognoscite: religionis duas esse partes, puram Dei cognitionem, et cultum ejusdem; quarum si demetur alterutra, religionem certò casuram. Nisi enim Deum rem esse noverimus perfectissimam, à qua rerum universitas et facta sit, et conservetur, et dirigatur; quis in eum esse poterit amoris cultus, reverentiae, servitutis? quod si Deum esse constat, ejusque numine facta esse omnia, servari, et regi, ei ab hominibus summus et amor, et reverentia, et servitus deberi, relinquitur. *Nam potes igitur*, ut Lactantii orationem concludā, *nec religio à sapientia separari, nec sapientia à religione secerni: quia idem Deus est, qui et intelligi debet, quod est sapientiae, et honorari, quod est religionis.* (eodem lib. cap. 3.)

Ex quo intelligi par esse perspicitis, non rectè illos se gerere, qui, externo tantùm cultu contenti, eam negligunt scien-

tiam

tiam, è qua cultus Deo consentaneus nasci debet, cuiq. ut ut rectus sit, ac legitimus, debet esse conformis. Quae autem religio è natura ipsa manat, naturalivè ratione cognoscitur, naturalis; quae revelatione autèm nobis est nota, ea dicitur revelata. Falsus praeterea verae divinitatis cultus, aut falsae, ut ita dicam, verus est superstitio. Quare qui vel ei, cui non debetur, cultum tribuit; vel cui est quidem debitus, sed absurdis tamen modis tribuit, et ritibus; is superstitiosus dicendus est.

Errorum autem, qui religioni adversantur, duo summa posui genera, nec inscite, et puto, in libello de superstitione Plutarchus: ut alii ab Atheismo, alii â superstitione nascantur. Ille omnem tollit funditùs religionem; haec falsam inducit. quae cum religio dici non debeat, ut Atheismus directè, quod ajunt, religionem evertit, sic indirectè superstitio convellit: Jam Atheismus aut Materialismus vocat, cum, nisi corpora, nihil aliud esse, statuitur; aut, si Deus cum rerum natura confunditur, Pantheismus, atq. Spinosismus â Philosophis appellatur. Duplex alia esse potest Atheismi descriptio, ut negativus sit unus, positivus verò alius nominandus. Ignorantia namq. divinitatis status negativus dicitur Atheismus. In eo autem infantes, nondùm rationis

usum

usum adepti sunt positi: nisi Carthesianos illos audire velimus, qui insitas humanis mentibus ideas quasdam esse contendunt, maximè Dei. Ego quid de eo sentiam, qui quarto Metaphysicae libro, qui Psycologia erit inscriptus, Deo annuente Optimo Maximo, patefaciam. Ac illud dicam interea, infantes intus in alvo matris inclusos, Deum cogitare, communi hominum sensui maximè repugnare. Quod si innatae sunt ideae, infantibus <u>negativus</u> non est proprius Atheismus. Quosdam novi orbis homines, Deum nescientes, repertos narrat <u>Philosophiae auctor</u>, qui dicitur (tom. 1. cap. 1. par. 2) quod si ita est, <u>negativi</u> vocarentur Atheistae.

Duo autem hujus Atheismi sunt genera, <u>inculpabilis</u>, ut infantium, et culpabilis, ut adultorum scilicet hominum; si quos ejusmodi reperiri posse, sit certum, quod nego. Nam etsi insita menti non sit divinitatis idea, nec innata, sed assumpta prorsus et adventitia; hominum tamen nullus tam est rudis, ac stupidus, qui confusè saltem numen esse intelligat aliquod praestantissimum, à quo haec rerum compages effecta sit, et regatur; modo rationis usum aliquem habeat. <u>Positivus</u> insuper Atheismus <u>Theoreticus</u>, vel practicus, graecè scilicet dictus, est. Ille ejus est ominis, qui

aut

aut Deum esse nullum, aut mundum ipsum esse profitea[illegible] qu[illegible]at: qualis et Epicureorum fuit, Divinitatem negantium, et Spinosistarum est, ut ita commu[illegible], ac Tolandistarum, quibus Deus aliud nihil est â rerum natura. Hic sivè *practicus*, est eorum, qui Deum quidem esse fatentur, at sic, ut si nulla quidem esset Deitas vivunt: quod sanè genus hiscè temporibus perlatè patet.

Addendus eodem est generalis *Scepticiscismus*, *Naturalismus*, *Politichismus*, *Hypocritismus*, *Indiferentismus*: sic enim perspicuitati consulturi loquuti sunt docti, latinitatisque scientissimi. *Scepticissimus* igitur, quo de loquimur (prudens etenim dubitatio sanctissima) in eo est situs, quod nihil prorsus sciri posse, sed incerta esse dubiaque omnia, etiam Deus sit necnè, doceatur. *Naturalismus*, *Deismusvè*, aut *Socinianismus* eorum est philosophorum devia sanè deliraque secta, qui una naturali religione contenti, revelatam prorsus abjiciunt, eam meram, ut ajunt, imposturam esse dicentes. *Politichismus*, qui et *Machiabelismus* vocatur, et *Hobesianismus*, horum est error, qui religionem tantum, quod nec publicae utilis esse possit, curandam docent ac retinendam, atque adeò sic, ut res exigit publica, illa ipsa utendum. Qui religione quavis admi-

ssa,

ssa, sive Christiana illa sit, seu Ethnica, vel Calvini , sic ut loquar, salvum esse posse hominem docent; Indifferentistae, eorumque praeclara haec scilicet ac vera doctrina, Indifferentismus vocatur. Ficta demum et exterior religionis imago, religioso animo exuta qualis eorum est nebulonum personata religio, qui ovillis pellibus lupina corda dissimulant; Hypocritismus, Pharisaeismusve nominatur.

Sequitur Prophetia cujus nomine earum rerum praedictionem intelligatis, quae nondum, cum praedicuntur, evenerint; nec e naturalibus causis, praesentive rerum statu, vel constitutione conjici possint, aut praesentiri. Res autem, ut praedictae sint, ita contingere, argumentum est Profetiae verae certissimum. Atque uni quidem Deo vis illa futurorum praesentiens, congruit; ob id quia cum is tantum mundi auctor sit, idemque moderator; ipsi dumtaxat uni ea sunt nota, quae sunt in ipsa rerum universitate futura. Quocirca non alius, ut ita dixerim, prophetare, nisi qui Deo pleni et afflati sint, potest. Aristoteles eos etiam, ut ait Tullius, qui valetudinis vitio furerent, et melancholici dicerentur, censebat habere aliquid in animis praesagiens atque divinum. (lib. 1. de div. cap. 37.) Sed nisi morbo, et constitutioni concederet, quod est sanae menti negatum, et melancholicis, quod sapientissimus nequit Philossophus, attribuere, demen-

tia

tia non sit; deliravit hactenùs nemo.

Eventum praeterea, effectumve, et consuetas leges naturae mechanicas, et causarum vim naturalium superantem miraculi nomen hoc in loco significat: pressiùs videlicèt sumptum, quippè cum quidquid mirabilitatem efficeret id, sive naturam vinceret, sive secùs, miraculum latini dicere consueverint. Quapropter ne, qui effectus tantum sint artis, vèl naturae mirabiles, ii cum miraculis misceantur; duo illi veri sinceriq. miraculi caracteres probè notandi sunt. Quaedam enim à legibus quidem profecta naturae mechanicis, sic humana tamen arte, vèl viribus mutari, corrumpi, inverti q. possunt; ut miracula, cum mera sint artificia, videantur. Et miraculum quidèm quoad substantiam effectus is dicitur, qui naturae viribus fieri modo quit nullo, ut restitutio mortui alicujus ad vitam quoad modum verò, cui similes quidem natura fiunt, sed aliu modi: febris, ex. c., verbo aut temporis puncto facta curatio. Ubi haec enim, scilicèt curatio, ut patet, sed modus, facilitas nimirùm et brevitas naturae vim, et artis regulas superat.

Deniq. quas vires, aut dotes res habent rationis participes natura ipsarum attenta, è naturali mundi systemate naturales, sed

natura dicuntur: quidquid autem praeter ipsarum naturam, et naturae systema illis â Deo benevolè atq. benignè tribuitur, gratia. Et naturae quidem, sic gratiae Deus est auctor; at id cum illa haec differt, quod natura et prior sit, et naturali debita mundi systematè; gratia contra posterior, et praeter naturae complexum sola Dei benignitate naturae addita rationis participi.

At enim natura, dicatis, si donum est Dei, idq. nobis prorsus indebitum, gratis est â Deo tributa. Talis est autem. Gratis ergo nobis tributa. Quidni igitur gratia vocetur? an effectae, pergitis, res ullum in conditorem jus habent, cui obligatio in ipso ulla respondeat? Jus enim et obligatio relata. Profectò nullum. E nihilo enim cum â Deo universa et facta sint, et serventur; nec, ut fierent, jus illis inesse poterat aliquod; nec ut, postquam sunt, perseverent, esse quit ullum. Non ergo illis â Deo creatio, non debita conservatio. Est ergo utràq. beneficium. Est igitur gratia. Quaenam ergo naturae, et gratiae distinctio? pervelle, discipuli.

Sed haec nihilominus, ut perpendatis, oportet. Nec ut sint, nec ut maneant, nec ut ita et existant, et perseverent, quemadmodū sunt et manent; ullum res ulla jus habet in Deum. Sic est profecto.

At

At Deus, quae ejus est bonitas et sapientia, et res efficere decrevit, et hoc sibi jus ipse perscripsit, ut eas bonas conderet ac perfectas: cui certè juri parere, summa est divinae naturae perfectio. Cum autem praecipua rerum naturae praestantia, perfectio, pulchritudo in earum ipsarum ordine, viribusque et qualitatibus, ipsi ordini constituendo, servandoque necessariis, sita sit; ea illis Deus omnia concessit: non quod id rebus, sed quod sibi illud ipse, bonus scilicèt et sapiens, deberet. Quare cum has res mundi, vel illas hoc potiùs, quam illud exigere dicimus, jus in rebus adversus Deum certè nullum agnoscimus; sed hoc volumus, postquam Deus quidpiam facere constituerit, dedeceret profecto, illud ab eo alitèr fieri, atque summa ipsius sapientia et bonitas postulant.

Jam ex effectis à Deo rebus omnibus quaedam sunt libertatis suaptè natura participes: hoc est, divinam decebat rationem et bonitatem, ut rerum, quas efficere voluit, omnium aliquae vim appetitum pro libito moderandi, quod libertas dicitur, haberent. Quapropter res libera naturalitèr à mundi ordine, et legibus, Deo latore sancitis, deflectere valet. Age verò aberrare, ut sit saepè, ponamus: Deus illam de viis, ut ita dicam

itine-

itineribus pergentem sinere, juribus sapientiae et suae et bonitatis retentis, posset, ut cernitis; cum, res esse in mundo libertate pollentes, divinae sit rationi, atq. bonitati conforme. At novis illi ipsi rei additis viribus Deus quit assequi, ut in ordinem, unde aberraverat, redeat. Id autem qualecumq. sit, quod Deus cum in finem rebus liberis adjicit, dicitur gratia: reliqua verò, etsi dona sunt etiam Dei ac beneficia, non gratiā dicere, sed naturam claritatis ergo Philosophis perplacet ac Theologis.

Opem autem hanc, auxilia, vel vires, quibus nos Deus ad rectè cogitandum, amandum, vivendum ad ordinem, uno verbo, â semetipso positum, observandum; actualem dicunt gratiam Theolgi: quae si externa quapiam via, ut Prophetiae, seù praedicationis, adveniat, exterior; sin autem per mentis illustrationes, et pias quasdam voluntatis motiones, interior, illis ipsis appellantibus, dicitur. Habitualem praeterea gratiam vocant charitatem ipsam mentibus nostris inditam in cordibusq. diffusam, quâ et Deum super omnia tota ex mente, atq. animo, et proximum, aeque ac nosmetipsos, diligimus. Haec etiam gratia sanctificans dicitur; idq. ab actuali differt, quod et nobis sic, ut habitus, adhaerescit; nec nisi letali culpa, hoc est improba voluntate, quae nos â Deo avertentes ad facta convertamur, amittitur. Cum actualis nec habitus more menti insideat,

et

et gravi admissa culpa, permaneat. Sunt et alia bene multa g[...] nera gratiarum, ut aliae sufficientes dicantur, efficaces aliae, ali[...] gratum facientes, aliae gratis datae, aliae demum alius mod[...] sed eorum ista sunt proprie, qui revelatam edocent Theologiam. Nos autem, cum vocabula deffinierimus, ad existentiam Dei, e[...] sentiamq., unde Theologiae totius duci debet exordium, veniam[...] oportet.

Caput secundum.

De existentia Dei, ac essentia.

Atq. Deum quidem esse, dicipuli, facta cum univ[...]sa, tum singula testari, longe lateq. in Physicis disseruimus. [...] autem restant argumenta, Deum esse probantia, ea ex populorum consentione petuntur, dicunturq. Phylologica, quod ad erudit[...]nem pertineant; aut e notionibus Metaphysicis, quamobrem Metaphysica nominantur. Utraq. sane a paucis aggredi et persequi volumus: nam et praesens abundat saeculum Atheistis, ut silere non liceat; et multum hoc in loco alias me fuisse vestrum neminem praeterit.

Principio igitur nulla, ut praeclare Tullius, gens est, neq. tam immansueta, neq. tam fera, quae non, etiamsi ignoret, qua[...]

lem

lem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. (lib. 1. de leg. cap. 8.) Ad veteres quod attinet nationes, eas hac in re ita mirabiliter consensisse, Platonis, (de legibus lib. 10.) Aristotelis, (de caelo lib. 1. cap. 3.) Ciceronis, (in libris de nat. Deor.) Diodori Siculi, (lib. 12.) Sexti Empyric. (commen. ad vers. Mathem. lib. 8.) Senecae, Annei scilicet Lucii, (epist. 117.) aliorum tandem, quos memorare facile posse, scripta confirmant. Recentium autem tot nobis, quot recentes viatores, et historici, testes sunt. Tartaros enim remotissimos, et ad glacialem Oceanum sitos Samoyedas, Islandos, Americanos, Missisipenses, Canadenses, Mexicanos, Peruanos, Chilinenses, Huttentotos, Caffaros, Indos, Japonenses, Synenses, barbaras demum omnes ab Europeis cognitas nationes, et praepotentis cujusdam, summique mundi fabricatoris ideam aliquampiam, et caeremonias, cultum, atque religionem habere, illarum itineraria regionum ostendunt: et ab illis quidem conscripta, qui apud easdem illas gentes degerint diutissime. Multa Dei attributa nesciant, ac nescierint fateor, nec vero nobis nota omnia quin imo ignota non permulta dicam, sed infinita. Quid? Qualem habere divinitatem debeant, nonnullae certe gentes ignorant; habendam tamen aliquam, sciunt omnes.

Jam

Jam sive generalis ejusmodi omnium consensus persuasioq. populorum in ratione nitatur, et, ut ita dicam, voce ipsa naturae; sive à Deo perpetua hacúsq. traditione, quod verius puto, sit nata: Deum constat existere, cum neminem Deus fallat, neminem natura decipiat. Neq. verò aliundè, quam indè, undè posuimus consensio illa potuit proficisci: generalis enim effectus causa efficitur generali, quae hic, ut patet, vel est natura vèl Deus. A me autem hic excellentium par Philossophorum inducitur, alterius Platonici, alterius Stoici, Ciceronis et Senecae, Dei notionem omnibus insitam hominibus, disserentium.

Nisi id, ait ille, cognitum comprehensumq. animis haberemus; non tam stabilis opinio permanet, non confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum saeculis aetatibusq. hominum inveterare potuisset. Etenim videmus, caeteras opiniones fictas atq. vanas diuturnitate extabuisse. Quis enim Hyppocentaurum fuisse, aut chimaeram putat? quaeve ______ excors inveniri potest, quae illa, quae quondam credebantur apud inferos portenta extimescat? opinionum enim commenta delet dies; ______ judicia confirmat. (2. de nat. Deor. lib. cap. 2.) Haec Tullius: illa Seneca. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus

videri

videri tamquam Deos esse, inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio insita est: nec ulla gens usquam est adeò extra leges, moresq. projecta, ut non Deos aliquos credat. (epist. 117.) Perbenè, nisi quod non insitam hominum mentibus Dei puto notionem, sed adventitiam: quamquam quod ad consensum hanc in rem hominum attinet, sitnè ille ab innata, adventitiavè notione profectus, refert profectò nihil. Verum haec hactenus: alterius ordinis argumentum aliquod afferamus, scilicèt Metaphysici.

Praestantissimum certè illud et solidissimum, quod ex humana quavis mente concluditur, omnium puto. Age, nos et esse patet, et intelligere, ac velle, et posse nonnulla: quod sua quisque conscientia docetur. Res ergo intelligentiâ, libertate, atq. efficientiâ pollentes, rerum natura complectitur. Hae praeterea, ut cernimus, non sunt quidem sempiternae, sed factae. Aut ergo, antecedente causa nulla, efficiuntur: aut effectarum rerum, efficientiumq. infinita est, nullâ habitâ infectâ, progressio: aut infecta demùm, sempiternaq. propterea est causa, factarum efficiens mentium aliqua. Atqui, nullâ antecedente causâ, fieri quidquā, pugnat: est numq. effectio quidpiam, hoc est, alicujus actio, non nihili. Nisi ergo illud aliquod habeatur, quod queat quid-

plam

piam facere; hocce quidpiam certè non fiat. Causa igitur factarum efficiens mentium quaedam antecedat necesse est. Haec autem mens esse nequit effecta: nam ejus, quod efficitur, causa est aliquaepiam antecedens. Ea similium ponatur numerus mentium, factarum scilicet, infinitus: cum factae sint omnes, nec quidpiam, antecedente causâ nullâ, gignatur; aliquam esse causam oportet infectam, factarum mentium omnium effectricem.

Quiet, quod nihil effectum sufficientem effectionis suae rationem in se ipso continet, ut alias vidimus, et nemo non cernit: si enim est factum causam habuit efficientem. Efficiens autem sui causa esse nil potest, nisi una esse, ac non esse valeat: quod dicere, est, ut patet, insanire solemnia. Quapropter licet progressio statuatur factarum mentium infinita; infecta quaepiam illarum efficiens causa tolli omninò non potest. Est igitur causa factarum mentium aliqua infecta. Infectane? AEterna igitur, sempiterna. Ejusmodi autem nequit esse, nisi naturae ipsa suae necessitate consistat. Non ergo causa est illa fortuita, sed penitùs necessaria, ut scilicèt non esse, nonvè fuisse possit minimè. Quod autem necessarium est esse aeter-

aeternum infinitae sit entitatis, necesse est; cum contingentium, quae infinita quidem sunt, sufficientem in se rationem contineat. Atqui causa illa ipsa mentium, rerum scilicèt intelligentia, voluntate, potentiaq.ᵉ praeditarum efficiens est. Et mens igitur illa est, maximè intelligens, liberrima, potentissima. Jam mens infecta, sempiterna, necessaria, ideòq.ᵉ immutabilis, sapientissima, liberrima, praepotens, efficiens rerum omnium causa, id ipsum est, quod Deum vocamus. Deus est igitur, Deus existit. Rerum, dixi, omnium causa, nam ut factae sunt mentes, sic et facta sunt corpora. Aut ergo ab infecta re, aut â nihilo procreata sunt corpora. At â nihilo pugnat. Ab eo ergo, quod cum existat, infectum. id autem Deus est ipse. A Deo igitur facta sunt omnia.

Ex his autem, quae de Divinitate confecimus, eam scilicèt existere necessariò; unicam ipsam esse concluditur. Nam duo, ex. c. sint Dii: cum infinita esset natura cujusq.ᵉ, eorum unus sufficiens esset, alter minime necessarius. At quod ens sit Deus, id naturae suae necessitate consistit. Uuivis autem ex illis non existeret necessariò. Neuter igitur Deus esset. Plures ergo, quam unum, Deos esse repugnat. Deus igitur unus. Praeterea sint duo, vel plures: deesset uni, quod alteri esset. Nullus ergo perfectus

tus et summus. Nullus igitur Deus: quemadmodum Tertullianus, (lib. 1. cont. Mercion. cap. 3.) Anselmus, (in Menolog. cap. 3.) Boetius (lib. 3 de cons. praes. 10.) Sanctus Thomas, (prim. p. q. 11. art. 3.) Petaviusque (lib. de Deo. cap. 4.) philosophantur. Ex mundi etiam ordine id Thomas ipse (ibid.) concludit. Res enim naturae omnes ita sunt factae, eumque inter se ordinem servant, ut aliae quidem serviant aliis, sed unus tamen finis esse communis omnium videatur: quod unius certe omnia efficientis, causae, regentis et ordinantis est signum.

Eodem accedit communis gentium in veritatem ejusmodi omnium convenientia. Id Homeri, Hesiodi, Platonis, Aristotelis, Tullii, Senecae, Plutarchi, Ethnicorum demum aliorum scripta testantur: ubi unus solummodo Deus legitur princeps, et omnium parens, etsi minores alii dicerentur, quibus Optimus ille atque Max. imperaret. Neque vero triginta illa Deorum millia, quos suo cultus tempore narrat Hesiodus, negotium nobis ullum facessunt. Summus enim unus credebatur, et Πατερ (Andronte) Ανδροντε, (Theonte,) Θεοντε, (pater hominumque Deus) ~.~.~.~.~.~.~.~.~.~ ~.~dicebatur; minores autem, et praereliquis habebantur. Quod

si

si plures summo interdum nominare Ethnici videantur; id non plura indicat eos summa primaq; numina habuisse; sed multa unius summi Dei nomina varie cogitate distinxisse. Quoties voles, ait ex Ethnicis unus, videlicet Seneca, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare. Et Jovem illum Optimum ac Max. rite dices, et tonantem, statorem, et fatum. Tot appellationes ejus possunt esse, quot munera, hunc et liberum Patrem, et Herculem, et Mercurium nostri putant. Sic hunc naturam, fatum, fortunam; omnia ejusdem Dei nomina sunt, varie utentis sua potestate. (lib. 4. de benef. cap. 7.8.) Atq; ut qui Deum negant esse, Atheistae, sic qui multos statuunt, Politeistae graeca nempe voce dicuntur. De existentia Dei multa dixi: dicam de essentia nonnihil, ut promissa solvantur.

Qua sane de re tam est difficile nobis hominibus loqui, quam de existentia ipsius Numinis facile scimus quidem Deum esse, idq; tota rerum natura conclamat: quid attamen ipsa ejus natura sit, cum nec rerum essentiae in attributo, perfectione ve ipsarum aliqua, sed in multorum complexione sit posita; et Deus infinita contineat, quorum paucula naturae ratione, plura, sed non omnia tamen revelatione cognoscimus. Quid tandem, quaeso,

quaeso, discipuli, divinam possimus intelligere, atq. explicare naturam? perdoctè itaq. Tullius, roges me, inquit, quid, aut quale sit Deus, auctore utar Simonide de quo cum quaesivisset hoc idem Tirannus Hiero; deliberandi causa sibi unum diem postulavit. Cum idem ex eo postridiè quaereret, biduum petivit. Cum saepiùs duplicaret numerum dierum, admiransq. Hiero, requireret, cur id faceret: Quia Quanto, inquit, diutiùs considero, tanto mihi res videtur obscurior. (lib. 1. de nat. Deor. cap. 22.)

Sed ne unquam aliquid à me, quodammodo utile vobis futurum, praetermissum quaeri possitis; ex ideis Methaphysicis, hisq., quae de Deo intellecta et scita habemus, hanc de Dei essentia, vel natura quaestionem explicare constituo. Priùs tamèn, quam id, quod polliceor, praesto; attributa Dei perfectiones, aut proprietates generalitèr explanabo, quo lux aliqua dicendis accedat. Atq. Deus ens quidem est penitùs simplex, sed infinitum, ut uno cum mentis obtutu intelligere nequeamus: quare multis ipsum, variisq. notionibus considerantes, quasdam in eo quasi partes efficimus cogitando, quas proprietates ejus ipsius, perfectiones, attributavè nominamus; ab

una

traq. tamquam reliquarum prima percepta, quaeq. propterea essentia dicitur, fluere, manare vè cogitamus.

Jam de attributis divinis illud constat in primis, nec omnia, nec ullum plenè à nobis posse cognosci; cum et innumerabilia sint, et eorum quodlibet infinitum. Deindè ea ne ab essentia, nec inter se distinctione ulla alia, quam rationis esse distincta; cum perfectissimae Dei simplicitati distinctio rerum nulla conveniat. Quocircà Gilbertum illum Porretanum, Pictaviensem Episcopum attributa Dei re distincta esse opinantem Rhemensis Concilii PP.s et meritò ea quae damnabant,

Non sum inscius Schotistas eam inter attributa divina genere distinctionem, quae nèc merè sit ac purè realis, qualis duas inter res, individua vè reperitur; nèc purè rationis, quae in duplici ejusdem rei notione consistit: sed inter hanc et illam interjacens, formalis ab illis vocata, quod non in rebus, â se distinctis, sed in ejusdem rei attributis, quae formalitates ipsi appellant, inveniatur. At id nec intelligi potest, et divinae naturae simplicitatem everti opinor.

Quibus quidèm expositis, de essentiae divinae quaestione sic habeo: cum tres ad ordines, seu classes attributa Dei referre possimus,

ssimus, sic, ut alia ipsi, tamquam enti conveniant; alia tamquam menti, vèl spiritui; alia deniq. tamquam Deo, hoc est, ut enti è nullo pendenti, sed suam â se naturam habenti: essentiam ejus, ut entis, Methaphysicam in existentia positam judico; ut mentis in intellectione; in asseitate demùm vèl independentia, (barbara quidém at necessaria) ut Dei entisvè â semetipso, non ab alio, naturam habentis. Haec autem solius Dei perfectio, ut â se videlicèt sit, Hebraico illo, mysteriisq. refertissimo vocabulo, Jehovah יהוה, quod ὤν graeco respondet, significatur. Hoc enim Dei nomen est ineffabile, quod ne veteribus quidèm ante Moysem Patriachis Dominus revelavit. Apparui, inquit, ipse Abraham, Isaac, et Jacob in Deo Omnipotente (Haebreus autè habet in Deo Saddai, hoc est, qui sibi ipsi sufficit) et nomen meum Adonai, (Haebreus Jehovah non indicabit eis) (Exodi. cap. 6. v: 3.)

Exodi autem Angelus is, qui Dei vices gerens, allocutus est Moysem, nomen sibi esse ait, Ego sum, qui sum, scilicèt Jehovah, (ex. 3. v. 14.) Quae sanè verba Hilarius cogitans, admiratus sum, inquit, tam absolutam Dei significatio

ficationem, qua naturae divinae incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliquid magis proprium Deo, quam esse, intelligitur. Quia id ipsum, quod est, nec desinenti est aliquando, nec coepti. (lib. 2. de Trinit.) Ejusmodi praeterea nomen scribere quidem apud Haebreos licet; effari verò nefas putant: quamobrem pro Jehovah, Adonai, vel Eloe dicunt, dominum videlicet et Magistrum. El etiam vel fortis illis est usitatum; et Saddai, quod praeterquam sibi sufficiens vertitur quoque vastatator et potens; Eloim insuper vèl altissimus; demum Elsabaoth, Deus videlicet exercituum.

Quid, quod ex independentia attributa Dei caetera delabuntur? ex eo namque, quod è nullo dependeat, sed à se ipse subsistat, cunctas sibi, et summa quadam ratione, perfectiones esse concluditur. Certè perfectio illa, quae aseitas vulgò dicitur, est ejusmodi, ut è nulla antecedente manare, quin imò ex ipsa plurimas fluere concipiamus: quod satis est, ut essentia dicatur. Nec ullus nobis è Thomistis intellectionem aut intelligentiam objiciat, caeterarum primam Dei perfectionum intelligi; atque adeò essentiam ipsius esse habendam.

Nam

Nam et prius id esse concipitur, cui intelligentia intellectiove convenit, quam intelligentia ipsa, vel intellectio concipitur; nec Dei haec ita sunt propria, quin et angelis, et nostris mentibus congruant aliquomodo. At à se esse, solius est Dei, nec ulli alii potest cum Deo independentia esse communis. Schotistis essentia Dei esse videtur infinitas; sed haec ab aseitate nasci concipitur. Quis enim illi, quod à se est, fines assignat? de existentia, essentiaque divina habetis; attributa, quae nobis sunt nota Domini videamus.

Caput tertium.

De Dei, ut Entis, attributis aut proprietatibus.

Occurrunt autem ea primùm, quae ejus, ut entis sunt propria, unitas scilicèt, veritas, bonitas: omne namque, quod est unitatem quamdam, veritatem, et bonitatem habeat, necesse est. Propterea tria haec affectiones dicuntur enti prorsus omni communes, atque, ut schola loqui solet, transcendentales ac primae. Sunt quidem simul in re quavis illa ipsa, quibus de loquimur, attributa nec nisi cogitatione distincta; sed prius tamèn veritate unitas, et veritas bonitate concipitur. Hic enim unitatis nomen non partium unionem, cohaerentiamve

signi

significat; sed id, quod est oppositum multitudini, efficitque, ut id cui insit naturam habeat individuam, non multiplicem, atque ideò indivisum in se sit, à quovis autem alio divisum.

Veritas deinde omnis est rei sua cum norma exemplo, vel regula convenientia: at veritas entis est ejus divina cum idea consensio. Quare rerum omnium illa est veritas; cum omnia aeternis ipsarum ideis, in Dei mente existentibus, planè respondeant. Ac prius, ut patet, est rem esse; quam suae normae congruere. Prior est igitur unitas veritate. Bonitas denique est rei absolutio, perfectio, praestantia, quae in eo etiam sita est, quod res ipsa talis, qualis esse debeat, sit; suovè exemplo, vel regulae consentanea. Sic cui nihil desit suo ingenere, omniaque, quae natura ejus exigit, habeat, id bonum dicitur, vel perfectum: bonitas enim à perfectione non discrepat; sed duobus hisce vocabulis unum quid, rei scilicet absolutio et expletio significatur. Nec à veritate quidpiam aliud bonitas interest, nisi quod illa ad intelligentiam, haec ad voluntatem, divinam praecipuè refferatur. Nam ut veritas, de qua dissero, transcendentalis

lis videlicet, ipsa est res, quatenus mente concipitur; sive transcendentalis, aut Methaphysica bonitas res ipsa est, prouti appeti potest, quoad voluntatem expectat. Iam cum prius intelligentia, quam voluntas concipiatur; prior etiam, non re quidem, vel natura, sed cogitatione solummodò veritas dicitur bonitate.

Quibus sanè rebus expositis, Deo; quippè qui ens sit, unitatem, veritatem, atque bonitatem esse brevè explanè conficio. Et primum quidem Deos plures esse repugnat; cum id cuivis adesse ipsorum, quod alter haberet. Deus igitur unus, non multiplex est. Praeterea cum id sit Deus, quo melius excogitari non possit; nihil ab eo nec re tolli potest, nèc mente et cogitatione. Nam ergo est unus, sed eam etiam habet unitatem, quae absolutae simplicitatis vocatur, estque nulli prorsus rei ipso cum Deo communis. Nam etsi enim sit humanae mentis simplicitas, eaque unitas, ut partes ejus natura nesciat; virtutibus tamèn, habitibusque, quibus est ornata, mutari, quin esse desinat, certè potest. Est Deus praeterea verus, seu veritas, scilicèt Methaphysica. Cum enim aeternus sit, et immutabilis; idem semper prorsus ipse

ipse est, suaeq. ipsius intelligentiae omninò infinitae respondet. Mirabiliter profecto Doctor Angelicus: veritas, inquit, invenitur in re secundum quod habet esse conformabile intellectui. Hoc autem maximè invenitur in Deo. Nam esse suum non solùm est conforme suo intellectui, sed etiam ipsum suum intelligere: et suum intelligere est mensura et causa omnis alterius esse, et ipse est suum esse, et intelligere. Unde sequitur, quod non solùm in ipso sit veritas, sed quod ipse sit ipsa summa, et prima veritas. (prim. part. quaest. 16. art. 5. in O) Propterea Deus in Scripturis verus, et veritas dicitur, et Deus veritatis, et solus verus Deus: quae non Methaphysicam modo innuunt veritatem, sed moralem, veracitatem, ut ita dicam, et in dictis ejus factisq. constantiam, et Logicam, in eo videlicet positam, ut res non alitèr intelligantur, ac sint, sed ita, ut sunt. Illud ei, qui suum est esse, et intelligere; cujusvè intelligentiae finis est nullus, vel limes, qualis unus est Deus, congruit perfectissimè.

Restat bonitas, quae ex perfectione concluditur. Deus enim est infinitè perfectus, ut nihil ei deficiat perfectionis.

Est

Est igitur bonus, eaq; bonitate, quae in rei perfectione, sive in perfectionum, quae suae naturae debentur, omnium complexione consistit, et absoluta transcendentalis, aut Methaphysica nominatur. Quin etiam boni omnis est bonum, et summum bonum, vel summa bonorum. Cujuslibet namq; rei bonitas ejus est, ut patet, perfectio. Deus autem omnium in se ipse complectitur perfectiones; quippè qui perfectus simpliciter est, hoc est, infinitè, â seq; ipso omni prorsùs modo perfectus. Boni ergo omnis est bonum. Quod autem ita est, ut omnes in se contineat bonitates; summum, ut claret, bonum est, aut summa bonorum. Quid, quod bonus est etiam, ut dicitur, relativè: hoc est benignus, beneficus, liberalis, munificus. Omnis enim rerum bonitas omnium â Deo, ipsarum effectore, conservatore, rectore profecta est. Bonus igitur Deus rebus, optimus ipsa bonitas: ut propterea neminem bonum, nisi solùm Deum Scripturae Sanctae esse testentur. (Luc. cap. 18. v. 19.) Caetera quidèm ita sunt bona, ut a Deo participent bonitatem; at Deus â se ipso est bonus, quod est bonitas, ut cernitur, infinitè omninò perfecta.

At.

At enim cum Deus non bonus modo sit, sed beneficus; qui tandèm convenit, tot in mundo mala cernantur? aut si et â se ipse optimus et ipsius beneficientia, cuncta sunt bona undè nam mala proficiscuntur? aut ergo Deus non est, aut est quidèm, sed vèl impotens, vèl inscius, vel avarus, vel invidus, aut nulla sunt mala. Haec autem habentur, et plurima. Aut igitur Deum esse nullum; aut malum, et imbecillum esse relinquitur. Hunc in modum elata cum superioris, tum nostrae etiam memoriae ingenia, et inflata balbutiunt. Persae autem duo summa aeternaq. principia, bonorum unum, alterum malorum esse putabant; quorum illud, ut prodesset, hos, ut nè obesset, aut noceret, venerabantur. Persas Manichei, et Marcionitae sectati sunt.

Ego autem cum in Physicis hac de re permulta docuerim, pauca huic afferre constituo. Omnia igitur, quae â Deo sunt facta, bona quidèm sunt, quippè â summo bono confecta: quamobrem naturale, ut ita dicam, absolutumvè malum est nullum; sed mala omnia relativa. Age, facta bona ipsa cum summo earum efficiente bono

cum Deo scilicet, conferantur. A summa illa bonitate deficere intelligemus. Haec autem deffectio et malum dicitur Methaphysicum, et facta omnia necessario consequitur, quae infinitè perfecta esse non possunt. Praeterea ad utilitatem commodumq. nostrum bona quaedam relata, quod dolorem nobis ingererent aliquem, mala physica nominamus. Libertas tandem actiones aeterna cum lege conferimus? Bene habet. Aut illi congruere, aut ab ipsa discrepare, necesse est: ac discrepantes ejusmodi actus peccata, moraliavè mala vocamus. Haec ex nostrae abusu libertatis oriuntur; abusus autèm ille è mentis brevitate, nostraeq. naturae affectibus ducit originem. Quas enim leges, ut imbecillitatem nostram adjuvarent, Deus nobis imposuit, eas ipsa quidèm mentis nostrae brevitate negligimus, sed liberè tamèn; cum nulla nos vis, nulla necessitas in neglectum illarum rapiat, ut in se nostrum quilibet experitur.

Tum Physica mala, moralibus positis, sequantur, necesse est: sunt enim debita peccatis supplicia, quibus nos Deus ad officia revocare nostra intendit. Bona proptereà, ac ejusmodi, ut Deum nemo dicere audeat dedecere,

cujus

cujus in illis et justitia, et bonitas lucet. Sic enim rerum plectit errata justissimus, ut eos à vitiis deterrere benignissimus, ut ita dixerim, meditetur. Quibus ex rebus efficitur, ut et universa à Deo facta sint bona; et quae verè sunt mala, moralia scilicet, ea ex finita factarum mentium natura et libertate nascantur. Non enim eas ex se Deus condidit, sed è nilo: quocirca suoptè sunt natura mutabiles, et à lege possunt, cum velint, ipsae deflectere. Verùm haec satis: ad attributa, quae Deo, ut menti, spirituvè congruunt, veniamus.

Caput Quartum.

De Dei, ut mentis, seu spiritus, attributis.

Sunt illa autem Physica, vel moralia. Ad physicorum classem simplicitas pertinet, intelligentia, voluntas, vita, efficientia, providentia: ad alteram verò amor, justitia, misericordia, beneficentia, caetera. Singula quaeso, attentè, Discipuli, accipiatis, et accuratè notis excipiatis. Atque Deum maximè simplicem esse, concludo. Est namque Deus, id, quo melius, praestantiùsvè nihil nec esse potest, nec cogitari. Eo autem, quod corporeum sit, cujusque natura propterea multis, sese excludentibus, particu-

lis constet, figura terminetur, et loco finiatur; meliora quae plurima, praestantiora, nobilioraque multo non cogitare modo possumus, sed existunt. Deus igitur non est corporeus, Simplex ergo. Quid, quod eius, quod corpus est, partes ali qui opifices efficiens nimirum res aliqua copulavit? qui autem Dei, quaero, copulaverit partes? nonnè causa illa vèl artifex copulans Deus esset; res autem copulata, cum nec infecta esset, nèc à se existeret, et rem se nobiliorem suique effectricem haberet, neutiquam? Deus ergo non est profectò corporeus, sed mens, atque ideò simplex. Quid, quod singulis cuiusque corporis partibus sua tantùm vis inest, certo cuidam officio destinata, vèl muneri, ut nulla alterius munere fungi possit? oculis enim non auribus cernimus; his, non illis, audimus, et ita de caeteris. Deus autem (Hilarius disserit Sanctissimus et doctissimus audiatur) qui et ubique, et in omnibus, totus audit, totus videt, totus efficit, totus incedit. Virtus Dei, quae indiscreta est, officiorum, et membrorum habet nomina, ut virtus, quâ videt, oculi sint, virtus, quâ audit, aures sint; virtus, quâ efficit, manus sint; virtus, quâ adest, pedes sint;

sint; officiorum diversitates virtutis hujus potestates peragentes. (In Psalm. 119.)

Ad haec Deus, cum â se sit, è nullo scilicèt pendeat, atque adeò sufficientem existentiae suae, et conservationis rationem in se totam ipse habeat, necessariam, et aeternam; mutationis causam nullam agnoscit. Quid, quod Deus est, infinitè perfectus, obidque necessariò, ac ex aeternitate id est omne, quod esse potest. Quod autem ita est, id necessariò sit, atque ex aeternitate immutabile, est necesse. Deus est igitur penitùs immutabilis. Jam ejus, quod prorsus est immutabile, summa, ut cernitis, est simplicitas. Deus est igitur valdè simplex. Ex quo fit, ut nullum illi sit accidens. Hoc enim aut est modus, aut qualitas, sic, ut ille existentiam rei, hae essentiam, attributaque limitet: quod in id, cui à se est interminata prorsus et infinita perfectio, certè non cadit. Et Deum quidèm quoad substantiam mutationis expertem; quoad sua verò decreta participem somniant Sociniani.

Hoc etiam indè concluditur, compositionem esse nullam in Deo. Non Physicam, cum id rerum,

partes habentium, proprium sit. Non Methaphysicam, sic nempè, ut Dei attributa Schotica illa distinctione, quam in Ontologia exposuit, sint distincta. Omnia enim, quae mentis nostrae brevitate recensuimus attributa divina, una, prorsus simplex, essentia est, in qua non aliud sapere verbi causa sit, aliud esse. (lib. 5. de Trin. cap.) Deus enim, ut edocet Augustinus, cujus etiam verba sunt illa, quae à vobis subscriptis lineis notata volumus multipliciter dicitur, magnus, bonus, eadem magnitudo ejus est, quae sapientia, et eadem bonitas, quae sapientia et magnitudo, et eadem veritas, quae illa omnia. At logicam esse compositionem, ex mentis nostrae imbecillitate, ut distincta, et plura, quae in Deo sunt unum penitus, percipientis exoptant, dubitari non potest: quam, si placet, (non enim verbis contendimus) dicite Methaphysicam. Qui autem Haeretici Deo humanam esse figuram, cujus instar factus esset homo, contenderent, Anthropomorphitae, ab Antropos, homo, et morphi, forma vocati sunt. Dixi de simplicitate.

Sequitur scientia, quam Deo rerum omnium

per-

perfectissimam esse conficio. Deus enim mens est penitus infinita. Intelligentiam ergo habet interminatam, scientiam ergo consimilem. Nulla est res igitur, erit, fuit, esse vè potest, quam nesciat Deus. Omnium ergo scientia illi est perfectissima. Hinc autèm fit Deum sua se scientiâ plenè cognoscere, vel, ut dicitur, comprehendere. Quod si ita est, ut est revera, vim suam, efficientiamvè prorsus intelligit. Nullius autem rei vis tota cognoscitur, nisi ea quoque omnia, ad quae vis ipsa pertinet, cognoscantur. Non modo ergo se Deus ipsum intelligit, verum etiam ea omnia, quae ipse non sunt. Atq.e cum se per essentiam naturamvè suam, tum reliqua Deus in sua ipse natura cognoscit. Quo illud pertinet Augustini, nihil Deum extra se ipsum intueri. (lib. 83. qquaest. 46) non quod nihil, quod extra ipsum sit Deus intueatur; sed quia quae sunt extra ipsum, ea non nisi in semetipso, cujus essentia rerum omnium similitudines continentur, intelligit.

At ratiocinatio, discursusvè, ut ajunt, divina cum scientia penitus pugnat. Est enim ejusmodi cognitio mentis è re nota transitus ad ignotam, ex principiis in-

intellec-

tellectis ad complexitionem ex ipsis intellectione alteras cognoscendas, et quasi exuendas progressio. Perbenè profectò Augustinus, Deus, inquit, non particulatim, vel singilatim omnia videt velut alternante conceptu, hinc illuc, illinc huc; sed omnia videt simul. (lib. 15 de Trin. cap. 10)

Satè etiam Augustini discipulus Thomas, homo, ait, secundùm diversa cognita habet diversas cognitiones. Nam secundum quod cognoscit principia, dicitur habere intelligentiam; scientiam verò, secundum quod cognoscit conclusiones; Sapientiam, secundum quod cognoscit causam altissimam; concilium, vel prudentiam, secundum quod cognoscit agibilia. Sed haec omnia Deus una et simplici cognitione cognoscit. (prim. part. quaest. 14. art. 7.)

Haec quidèm ita sunt, sed Theologorum tamen mos est, duplicem aut triplicem in Deo scientiam mente tantùm, et cogitatione distinguere, pro variis cognoscendorum generibus. Nàm eorum, quae nec sunt quidem, nec erunt, aut fuerunt, sed non pugnat tamen, ut sint, merè scilicèt possibilium cognitionem divinam simplicis intelligentiae scientiam appellant. Praeteritorum autem, praesen-

tium, futurorumque notitiam visionis, scientiam vocant. Sunt qui tertium divinae scientiae genus adjiciant, mediae ab ipsis propterea dictae, quod inter duas illas alias interesse arbitrantur: qua Deus contingentia futura cognoscat.

Atque de ejusmodi quidem futuris jam diu Philosophi inter se Theologi concertant. Ubinam, inquiunt, haec à Deo futura cernuntur? possibilia quidem sua in essentia, naturave perspicit. Absolutè autem ac necessariò futura suis in decretis intelligit. Ubinam verò contingentia, libera, conditionalia futura praevideat? Cui perdifficili sanè quaestioni alia alii respondent? sic tamen, ut rem quidem esse fateantur certissimam, Deum, quem latere nil potest, ejusmodi futura pernoscere; at quomodo ea certò cognoscat, antequam fiant, cum indefiniti tunc eventus sint, et quivè certa ejus et immutabilis horumce eventuum scientia nostra cum libertate conveniat, ad intelligendum, explicandumque judicem difficillimum.

Ego autem quonam in medio Deus se videat, nos penitus latere potius, quam aliud quidpiam responsionis, adhibeam. Non audemus dicere, inquit Augustinus, quomodo novit Deus? nè forte hoc à me, fratres, spectetis, ut explicem vobis,

motaq. voluntate, voluntatisvè actione omnia velit: nèc aliter in ejus voluntate decreta multa et varia distinguere liceat, atq. in intelligentia ejusdem scientia naturalis, media visionis, mente scilicèt nostra, et cogitatione solùmmodò. Sic absolutam et ordinariam, antecedentem, et consequentem, in Deo voluntates Theologus mente distinguit; cum nihil divina in natura ut saepiùs dixi, varium, vèl multiplex reperiatur. Dicitur autem à Theologis scientia simplicis intelligentiae naturalis, visionis autem libera.

Atq. cum de divina voluntate diximus, cavendum est nobis, nè quid illi humani tribuamus; aut nostrae similem voluntati putemus, cum longè sit dissimilima. Quinq. enim praecipua voluntati nostrae sunt vitia; divinae verò nèc est ullum, nec esse potest, ut patet. Nos etenim, nec omnia simul volumus nèc eadem sempèr; et falsum verò bono saepè praeferimus; suspensi nonnumquam haeremus; et bono malum, nedum majori bono minus praestare solemus: quae sanè omnia tùm è mentis brevitate, tùm è naturae nostrae mutabilitate nascuntur. Sic namq. fit, ut nèc omnia simul intelligere, nec eodem sempèr modo eadem cognoscamus; atq. adeò modò dubia

mens haereat, suspensaq. voluntas, modo etiam id nobis displiceat, quod antè placuerat. Quorum nihil ei contingere potest, qui et immutabilis est naturae, et infinitae sapientiae. Ad haec uno eodemq. actu et se vult Deus, et alia: se videlicèt necessariò; caetera liberè. Omnium namq. rerum est, suum finem ultimum velle, ac diligere necessariò, ut beatitudinem sibi velle hominis est, qui propterea miseriam sibimetipsi velle non potest. Deus autem cū se propter se diligat, quod bonorum ipse sit summa, seu finem ultimum velit, necesse est. Vult se igitur necessariò. At reliqua eatenus Deus ipse vult, quatenus ad se, tamquam ad finem ultimum, ordinantur. Eorum autem, quae finem respiciunt aliquem, aut ejusmodi sunt, ut sinè illis finis esse non possit; aut secùs. Illa necessariò, haec liberè, ut est perspicuum, volumus. Jam est Deus, ut patet, infinitè perfectus, nullius indigens, cui nihil ex aliis perfectionis accessit. Alia igitur â semetipso non vult Deus necessariò, sed liberè. Hinc accedit liberum Deo arbitriū convenire; non quod malum velle possit, et bonum, quod finitis mentibus proprium est; sed quia hoc, vel illud esse, vèl non esse quit velle: sicut et nos, non peccando possumus velle sedere, et non velle sedere, ut peracutè docet Angelicus, ex quo permulta in

hanc Theologiam nostram derivavimus. (q. 17. pp. 17 ad 2.)

Ex his etiam, quae de intelligentia Dei et voluntate conclusimus, ejus ipsius vitam demonstratam esse videtis. Intelligit namq. Deus et vult, velle autem, et intelligere viventis tantum est. Deus igitur vivens. Quid, quod et vita perfectio est, et in rebus vitae participes expertibus praeferuntur? Atqui nihil nèc Deo praeferri potest, nèc ipso praestantius inveniri, cogitarivè quit. Illi ergo vita deesse non potest. Atq. haec de vita: ad efficientiam accedamus.

Et Deo efficiendi vim maximam, summamvè potentiam esse, negotio quidèm nullo conficio. Est is enim quidquid esse potest. Est igitur potentissimus. Praeterea sufficientem eorum, quae fieri possunt, omnium rationem, unus in se ipse complectitur. Quae igitur esse possunt, ea ille omnia efficere valet. Vis autèm eorum, quae esse possunt, omnium efficiendorum, omnipotentia est. Hanc ergo Deus habet. Est Deus igitur potentissimus, vèl potius omnipotens: atq. ejusmodi ipsum esse, sola omnes duce natura cognoscunt. *Propterea non dico*, ait Augustinus, *da mihi Christianum, da mihi Judaeum, sed da mihi Paganum Idolorum cultorem, Daemonum*

ser-

servum, qui non dicat Deum esse Omnipotentem. Negare Christum potest, negare Deum omnipotentem non potest. (Serm. 119. de temp.)

De Providentia autèm Divina unum accipite Theodoretum, invicta in id argumenta profferentem. Quid enim, ait, res omnes procreavit, si curam earum gerere nollet? aut quid tandèm causae habet, cùr non provideat? an, cum possit, non vult? Atqui posse illum quidèm, quae ab ipso sunt facta testantur: etenim longè majus est è nihilo produxisse aliqua, quam jam extantibus providere. Enimverò posse ipsum creatura testatur. Velle autem, eadem iterū testis est: quippè, nullo cogente alio, ad procreandum accessit. Jam qui tantâ in ea, quae non erant, usus est bonitate; quinam â se producta, negligeret? Non enim dici hoc potest, illum productis rebus invidisse, cujus natura ab omni est invidia remota, et omnis perturbationis immunis. (lib. 2. de prov.) Perbona certò, perdocta, perpulchra: Nec opus est plura, et, ut esset, ea nostris in physicis reperiuntur.

Sequitur, ut ea Dei attributa patefaciam, quae Mo-

ralia dici notavimus, amorem videlicet, justitiam, benignitatem, caetera. Qua in re illud est à primo constituendum Deum affectibus propriè vocatis, obnoxium esse non posse: cum et immutabilis ipse sit, è nullo pendens, omnium factor et dominus, atq. summè perfectus; et affectiones illae naturae mutabilis argumenta, indigentis rei signa, et aliquid metuentis, indicia sint. Solet autèm duo affectuum genera partiri Philosophus, vi quidèm vocis abutens, unum animalium, rationalium verò (sic enim loquuntur) aliud. Illi commotiones sunt et perturbationes animalis naturae, quae sinè corporis immutatione quadam, maximè cordis, et sanguinis, non habentur. Hi verò rationis sunt decreta, vèl placita, immotâ natura. Jam animalibus Deum affectibus amoris, odii, irae, timoris, aliorum subjici, est, ipsum esse mutabilem, corporeum, indigentem: quod cum infinita ejus naturae bonitate, atq. perfectione repugnat.

Rationales autem in nobis, aut cum voluptate, ut gaudium, et amor, aut cum dolore, ut odium, ira, misericordia, conjuncti sunt. Age nunc Deo boni, pulchri, et ordinis voluntates conveniunt; mali pravi, perversionisq., ut ita di-

re-

rerum voluntates. Bona etenim juvat, et probat; prava vetat, et punit: quod cum optima ejus rectissimaque natura planè concordat. Quae cum ita sint, sequitur, ut Deo tribui debeant utrique rationales affectus; sed ita tamèn, ut nostris similes non putentur, sed perfectissima, immutabilis, Optimae, beatissimaeque naturae decreta. Sic Deo in Scripturis tribuitur amor, et indè orta beneficientia, et misericordia, odium etiam, ira, zelotypia.

Ac Deo, cum is voluntatem habeat, cujus primus actus est amor, ipsi quidèm amor est proprius. Cum autem amare nihil sit aliud, quam bonum alicui aliquod velle; et se Deus propter se amat, summum sibi bonum, quod ipse est, volens; et facta â se omnia, quibus bonum vult, imò quidquid bonitatis, seù perfectionis habent, ipsa concessit: ex quo amor ejus et benignitas patet. At nè cum amore amor, cum nostro scilicèt divinus misceatur, et confundatur, cavendum est. Voluntas enim divina, vèl amor est bonitatis rerum efficiens causa; contra ipsa rerum bonitas, aut vera quidèm, aut vera putata, amorem excitat nostrum, quo illis et quod habent bonum conservari volumus, et quo carent, ipsis accedere.

De misericordia, cum ea aegritudo sit ex alterius miseria, rebusvè adversis exorta, sic habete: non ipsam quidem, sed quod ipsius effectum est, id divina cum bonitate, summaq. perfectione quadrare. Quem enim miseret alicujus, ejus dolet, atq. meret aerumnam, quam propterea ab illo avertere neditatur, et nititur. Jam moerorem de alterius calamitate Deus capere beatissimus nequit: ipsam autem depellere â misero et potest, et vult, et solet; quamobrem miserator, et misericors, et longanimis, et multum misericors appellatur. (Ps. 102. v. 8.)

Ira autèm, quae Deo tribuitur divinae est rationis decretum, quo poena sceleribus irrogatur. Nec odium propriè cadit in Deum. Est namq. odisse velle cuipiam malum, prout malum. Cum autèm Deus malum sic velle non possit; ut nèc odisse valeat, sequitur. At quoniam id odisse quisq. dici solet, quod vult non esse, Deus odio habere peccata dicitur, quippè qui ea esse nullo vult modo. Odio praetereà Deo ea esse dicuntur, quorum vult interitum, vel supplicium;

um; non quod eorum mala sint, sed quia bonum majus aliquod vult, quod esse sine minori privatione boni non potest. Ita quod justitiam velit, plectit injustos; quod ordinem naturae servari, multa vult naturaliter interire. Haec enim mala, quae moralia non sunt, sed Physica aut Methaphysica, quodam velle modo Dominus potest: quatenus scilicet bonum vult, cui ejusmodi mala junguntur.

Nec Zelotypia Deo, nisi improprie tribuitur, vel translate. Est illa namque aegritudo vel dolor ex eo quod alter quoque potiatur eo, quod quis solus possidere cupit: estve, esse in metu ne quod possidere bonum soli cupimus, illud alter quoque possideat. Quis autem Deo perfectiones eripiat? Potest certe nemo. Aegritudinem igitur illam dolorem, aut metum a Deo procul esse, relinquitur. At cum amorem et cultum, Soli Deo ipsi debitum, rebus aliis, Idolis scilicet, ac Doemonibus tribuerint homines, tribuantque nonnulli, quod eidem maxime injuriosum est, atque modis omnibus iniquissimum; Zelotes esse dicitur Dominus, vel Zelotypus, propterea quod injuriam ejusmodi inultam nolit, et impunitam dimittere.

Quod ad Dei justitiam attinet, cum voluntas ejus ab ipsius intelligentia, quae summa est ratio, aeternaque lex, dissentire nequeat, sed perpetuo illi sit, et, ut dicitur, essentialiter consentanea; ordinatissima est, atque rectissima, ideoque

Deus

Deus suamet natura justissimus. Quare conjunctus Deus ipse dicitur, cum fortis, et patiens, virtutesve illi morales aliae tribuuntur; non id ex rerum naturarum ideis fit, sed modo infinitae illius naturae, atq. immutabili consentaneo. Virtutes enim hominum morales animalium affectuum concupiscibilis, ut ajunt, et irascibilis appetitus moderationes sunt, quae invita saepè, et, ut ita dicam, recalcitrante natura, iteratis actibus comparantur. quae sanè, ut cernitis, imperfectae, mutabilisq. naturae sunt signa.

Nam quis potens, quis fortis hominum appellatur? Nempè qui dolores, laboresvè, quas patitur, constantèr, ac lenitèr perfert. Patientia enim in arduarum, difficiliumq. rerum voluntaria, diuturnaq. perpetione consistit. Fortitudo autem in susceptione periculorum considerata, et dolorum, laborumq. contemptione. A Deo haec procùl. Quis praeterea homo dicitur justus? is videlicèt, qui suum cuiq. tribuit, aut legibus paret. Duplex enim justitia est, universalis, quae, cum obedientia sit erga leges, morales omnes virtutes complectitur; et particularis, quae in eo est sita, ut suum cuiq. tribuatur. Jam cuinam Deus obediat, et cujus pareat legibus omnium dominus, Imperator, et Judex? Quidvè cuipiam jure debeat omnium auctor rerum, quas ipsemet fecit ê nihilo? Quae cum ita sint, alitèr, longè alitèr, ejusmodi virtutes in Deo, atq. in nobis esse relinquitur.

Caput quintum,

De Dei, quatenus Deus est; attributis.

Restat, ut ea Dei attributa, quae ipsi uni sunt propria, quorum scilicet vestigium factis in rebus est nullum, quoad poterimus, exponamus. Sunt haec autem aeternitas, infinitas, immensitas, et summa felicitas. Ac Deum quidem aeternum sic esse confiteo, ut aliud ab ipso aeternum esse non possit. Eternitas enim duratio est nec finis particeps, nec initii. Deus autem initii ac finis est expers: à se namque, ut alias vidimus, ipse est, è nullo pendens, immutabilis, necessarius. Eternum ergo ipsum esse, relinquitur. Alia vero res quaevis et mutabilis necessario est, nec initio carere potest.

Sunt enim omnia uno dempto Domino suapte natura fortuita, vel, ut saepius loquimur contingentia, quae ut ê nihilo ab ipso sunt, cum ipse voluit, facta; sic in nihilum, si vellet, occiderent universa. Jam si ê nihilo sunt effecta, fuit certe tempus, quo nihil essent, et quo esse inciperent. Quod autem ejusmodi, initio vacare nequit, ut patet. At qui preter Deum ita sunt omnia Haec ergo initii expertia esse non possunt, esse igitur aeterna nequeunt. Solius ergo Dei aeternitas propria.

At enim cum creatura omnis est ex aeternitate possibilis, tum ex aeternitate Deus omnipotens. Nihil est igitur, cur aeternitas cum creatura repugnet. Facilia. Est quidem creatura ex aeternitate possibilis: at non ut ex aeternitate sit, fiatve, sed in tempore. Quî enim fiat ê nihilo, quin sit nihil, et aliquid esse incipiat? Quod autem esse incipit, initium habet. Initium est

te nescit aeternitas:

Deinde infinitas, quae Deo non ex parte, vel, ut ajunt secumdum quid; sed omnino, simpliciterque, ut dicitur, convenit. Quod enim id est omne, quod esse potest; nihil ei ex his quae esse possunt, desit necesse est. At Deus id est omne, quod esse potest, quaeque esse possunt, ea infinite sunt infinita. Deus igitur infinitus est infinite: perfectionibus nempe, cum numero, tum intensitate, ut Theologus loquitur, infinitis est praeditus. Quid, quod cum a se ipse sit Deus, aeternus propterea est, ac imutabilis? Ejus autem, quod est ejusmodi causa, quae cur aut sit aut tale sit, exterior nulla est. Deus igitur est ejusmodi. Nula ergo est causa, quae Deo fines prescribere valeat. His ergo Deus caret omnino. Est igitur modis omnibus infinitus. Omnium praeterea possibilium in se Deus rationem continet sufficientem. Et ip-

rarum igitur perfectiones. Perfectio ergo illius ita est ut nullo modo finiatur: Deus est igitur penitus infinitus.

Ac perfectionum tria à Theologis genera distinguuntur. Quae namque imperfectionis nihil habent, nec aequali sunt oppositae perfectioni, eas simpliciter simplices vocant. Sanctusque Anselmus ita deffinit, ut eas esse dicat, quae meliores sunt ipsae, quam non ipsae: hoc est, quas melius est subjecto, habere, quam secus, qualis est virtus in homine. Quae autem licet imperfectionis, nihil admistum habeant cum aequali aliarum nequeant perfectione, eas simplices dicunt. Talis est in Deo Paternitas, quae et in illo cum filiatione non potest; tametsi Pater, et filius perfectione sint compares. Illas tandem vocant, secundum quid; quae licet bonae in se ipsae sint, imperfectionis tamen continent aliquid; quamobrem cum nobi-

liori

lioni alia perfectione eodem in subjecto esse non possunt, qualis est extensio verbi causa, aut soliditas, quae cum inteligentia esse non potest.

Esse praeterea subjecto cuipiam perfectiones posse bifariam docent, aut secundum propriam ipsarum rationem, quod vocant esse formaliter; aut modo alio nobiliore, quod ipsi nominant _eminenter_. Quibus positis, perspicuum est, quas perfectiones _simpliciter simplices_ appellantur, eas Deo esse _formaliter_, _eminenter_ vero illas quas dixi notavimus _secundum quid_. Nam cum haec quiddam perfectiones secum afferant; non ipsas, sed ipsarum loco praestantiores Deus habeat, necessum esse perspicitis. De simplicibus sic habete: Deum adequate, ut dicitur sumptum, illas _formaliter_ continere; Deus enim sic intellectus, est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Singulas vero personas perfectiones haec omnes non _formaliter_ continere.

Filius enim, qui, ut ita dicam filiationem formaliter habet, prout Filius est, Paternitatem, quatenus est paternitas, hoc est, formaliter habere non potest: esse namque Filius simul, et Pater. Nec propterea quidquam perfectionis singulis de esse Divinitatis personis putare debetis. Nam etsi persona quaevis reliquarum perfectione careat relativa, eam tamen aequivalenter, ut dicitur continet: tam enim filiatione Filius, quam Pater paternitate perfectus est. Ad haec quod cuivis dt est Divinae personae, prout talis persona est, id ipsum illa â natura, seu prout Deus est, habet. Omnium enim eadem prorsus natura est vel divinitas personarum. Ex quo fit, ut unius personae perfectio reliquarum etiam perfectio sit.

Circuminsessionem vocant Theologi mutuam personarum in se invicem existentiam, ut Pater in Filio sit, Filius in Patre, Sanctusque Spiritus in utroque, et uterque in Spi

ritu Sancto: quod â divinae naturae in tribus personis ejusdem penitus existentis, unitate, simplicitateque perfectissima exoritur. Nam cum eadem tribus Dei personis natura sit; ubicunque haec existat et illas esse omnes, necesse est. In Patre autem divina est natura, ipsaque in Filio, Sanctoque Spiritu reperitur. Sunt ergo Filius, Spiritusque Sanctus in Patre; hi in illo et in quavis demum Trinitatis persona reliquae inveniuntur: quapropter nihil in personarum ulla perfectionis est, quin in reliquis reperiatur. Verum haec Theologiam respiciunt revelata.

Venio ad immensitatem, quae tam est Deo propria, quam infinitas. Cur enim prædita est infinitate divinitas? Nempe quod Deus cum â sesit ipso, naturae suae necessitate existit; nullasque idcirco essentia ejus, et attributa habeant qualitates, quibus finiantur, necesse sit. Jam existit Deus suae

ipsius necessitate naturae. Nullos igitur modus existentia ejus habere potest. Ut enim essentia qualitatibus, sic modis rerum existentia circumscribitur, ut intelligeres, et finitur. Atque situs, et locus modi sunt illi, quibus existentia limitatur. Optime: Nullo autem modo existentia Dei finiri, limitarive potest, cum ens ille sit essentiae existentiaeque necessarium. Modus ergo, quo Deus existit, finiri, aut limitari non potest. Deus igitur est immensus, ubique scilicet est, nullique rei, vel loco non praesens.

Duae autem sunt Theologorum de formali, ut ajunt, immensitatis ratione sententiae. Alii enim in Dei actione ad omnia pertinente, immensitatis rationem illam constituunt: sic, ut propterea immensus ille sit, quod ejus actio, quàcumque patet Mundus diffusa, pervadat, et permeet cuncta, ut fiant, singula, ut consistant, ut moveantur, ordinentur, et agant, secundum aeternas sapientiae

suae

suae ideas et leges efficiens quin ullo propterea modo scindatur in partes, aut ipsis cum rebus, tanquam pars earum aliqua, misceatur. Quod si ex illis quaeritur, antequam mundum efficeret quî Deus esset immensus, cum in rebus, quae nondum efficerat, nihil ageret; aptitudine, non actu respondent: in illis enim rebus, quae non erant, esse quidem, et agere poterat; sed cum nondū essent, nec erat, ut est perspicuū, nec agebat. Aliorum autem opinio est, non in actione Dei ulla quae ad extra vocatur ejusdem consistere immensitatis rationem, sed in ipsius, ut ajunt, â locis omnibus indistantia: prius enim quam Deum ubique agere intelligamus, suamet ipsum natura, et substantia ubique locorum esse concipimus; atque adeo cum adhûc rerum natura non esset, actu Deum fuisse immensum existimant, quod ego quidem puto

veris-

verissimum.

Deus itaque nullo circumscribitur loco sed ubique locorum totus suamet natura subsistit: in coelo totus est, totus in terra, totus in omnibus, totus in singulis et rebus, et locis, nec mundo finitur, sed sic mundus ejus majestate completur, ut excelsior Coelo Deus sit; profundior inferno, longior terra, et latior mari. (Job c. 11. v. 8. 9.) Presentia immensus, propterea quod nihil uspiam esse nihil intra, extrave mundum accidere possit, quod lateat ipsum, cujus nempe oculis nulla sunt omnia, cuique nulla est invisibilis creatura. (ad Heb. C 4. v. 13.) Potentia immensus, ob id quia nullus est locus, ubi nequeat quidquid velit, efficere, quia omnia prorsus ejus sunt potestati subjecta. Tum essentia immensus, ob eam rem quia in omnibus, et rebus, et locis, ipsa Dei natura substantiave reperitur. Quapropter cum ê sancto Machario quaereretur, num in sata Deus existe-

ret, sic respondit: quandoquidem Sol etsi creatura sit, lutulenta loca sua luce perfundit, neque quidquam laeditur; multo magis divinum numen ita cum satana versari; ut neque commaculetur, neque labis aliquid inde concipiat. (hom. 7.) Nullus prorsus est locus, resve tam abjecta, tam vilis, et sordida, ubi natura Dei et substantia non sit.

Summa Dei felicitas restat, atque beatitudo, seu beatitas, vel felicitas duo complectitur, omnium scilicet bonorum summam, et mali omnis absentiam. Deus autem infinito cum habeat attributa, sitque idcirco infinite perfectus, omnibus bonis affluit necessario, estque sibi plane sufficiens. Est preterea et immutabilis, et omnipotens, ut nulla ei perturbatio imminere, affectus nullus angere malum prorsus nullum sollicitare possit. Quae signa sunt omnia perfectissimae,

immutabilisque beatitudinis Dei. Qui e-
tiam mentes factae Dei consortio beantur.
Ego autem Domine, saciabor, cum appaxu-
erit gloria tua; (ps. 16. 15.) hi etiam, qui me-
cum sunt, inebriabuntur ab ubertate domus
tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos (ps.
35. v. 9.) Filii enim sanctorum sumus, -
Discipuli, et vitam illam expectamus,
quam Deus daturus est his, qui fidem
suam numquam mutant ab eo (Tob. C. 2. v. 18.)
scimus quoniam si, terrestris domus nostra hu-
jus havitationis, dissolvatur, quod aedifica-
tionem ex Deo habemus domum non
manu factam, aeternam in coelis (2. ad Corint.
5. 1.) Quam magna multitudo dulcedi-
nis tuae, Domine, quam abscondisti timen-
tibus te! Perfecisti eis, qui sperant in te, in
conspectu filiorum hominum: abscondes eos
in abscondito faciei tuae a conturbatione homi-
num, proteges eos in tabernaculo tuo. (Ps. 3. v 20. 21.)

At

At quanam ratione factae mentes â Deo beatae reddantur, in Ethicis, Deo ipso annuente videbimus. Nunc vero quoniam quae de Deo fore diximus, ea dictavimus; quod religionis est, exponamus.

Caput Sextum.

De Religione generaliter intellecta.

Ac illud inprimis statuendum, quod verae religionis est propium: ex quo, quid eidem adversum sit, aut minus congruens pateat. Deo igitur, ut illico exordiar, veram deberi, perfectamque Religionem, summa ejus bonitas, perfectio et excelentia argumenta sunt et signa clarissima. Religio enim ejusmodi in summi amoris obsequi servitutisque culta consistit. Quis autem ei summum deberi amorem difiteatur, qui et summi sit bonus, et causa totius cum bonitatis nostrę, tum felicitatis efficiens? Sed-

quid de obsequio, reverentiaque disseram; cum Dei perfectio modis omnibus infinita sit, et ipse parens hominum amantissimus? An non summas in se, nobisque bono summas debeamus homunculi caritatem? An non naturae infinita praeditae perfectione, nostrique procreatrici, parentique optimae reverentiam summam, inquam, reverentiam, summum etiam obsequium, et observantiam? de servitute cum omnium auctor rerum Deus sit altor, et rector; pariter disseruisse me putatote.

Prorsus, inquit aliquis, isto modo: quin vera Deo Religio debeatur, dubitet nemo; at cur eam non modo Deus imperat, verum etiam atrocia illis, aeternaque supplicia minatur; qui non ipsam incorrupte, ac sancte custodiunt? Deo enim cui perfectio penitus nulla deest, cuique summa est, atque plena felicitas; nostro ex cultu, obedientia et famulatu, nihil potest utilitatis, volupta-

tis, aut felicitatis accedere. Sui ergo causa nobis non imperat Religionem. Cur igitur illam exigit ab hominibus; eosque plectit, qui a Religionis norma discedunt? Papae questio hominis stultissima! Deo, inquit, summum homo debet honorem, obsequium, servitutem. Quid est ergo, cur se ab hominibus coli velit, et in ipsos nisi pareant, animadvertat. Quid quaeso Discipuli, quaeri posset stultius? Certe nisi id Deus vellet, ac faceret, quod cur velit, et faciat hic requirit; quaeri tunc posset utique qui fieret, ut, cum summa ille justitia esset, ac ratio, id quod tam est rationi consonum et justitiae, non preciperet nec prestari curaret.

At vero nostra Deus non indiget beatissimus, ditissimus, et nobilissimus servitute. Non quod sibi sed quia nobis utilis est Religio, et necessaria; ipsam exigit Deus, et infringi, aut deseri prohibet. Precipit itaque Religionem quod justissimus; precipit quod beneficus, et nostri aman-

tissimus. Huc accedit quamvis Deus nihil tale præciperet, cum et sit natura ejus præstantissima, et beneficia ipsius in nos collata quam plurima, et imperium in res omnes amplissimum; summam ad huc ei nos reverentiam, et obsequium famulatumque debituros.

Atque summa hæc plena Religio summo in amore, obsequio, servituteque constituta, nulli alii, nisi Deo soli debetur; quippe qui solus summe bonus est, summe perfectus, summusque omnium imperator, est Dominus. Quam obrem qui aut summum animi cultum, hoc est, quam ille potuerit maximum, Deo non tribuat, et aut aliud etiam a Deo summo illo ipso obsequio prosequitur ejus certe religio falsa est, absurda, et iniqua. Sed id ~~tan~~tamen fieri, et potest, et debet, ut Angelos, Sanctosque viros S. Deo suamet virtute carissimos, non ut Deos quidem, sed ut Dei servos, amicosque veneremur.

Quæ ut amplius illustrentur, 1°

adorationem, quę è præcipuis Religionis actibus unus est, nonnulla subjiciam. Illa ergo (si modo latè sumetur) actio est, qua et alterius excelentiam, et nostram erga illum ob ipsius præstantiam summissionem testamur. Est autem multiplex. Λατρεια namque dicitur quę uni Deo ob infectam ejus infinitamque præstantiam, et majestatem debetur. Δυλια quę sanctis omnibus, vel Angelis quę sanctis omnibus vel Angelis vel hominibus ob ipsorum a Deo acceptam, et ut loquuntur, supernaturalem excellentiam tribui debet. Deinceps υπερδυλια, quę uni Dei genitrici sanctissimę propter eximiam omniumque sanctorum excelentiam superiorem ejus a Deo acceptam supernaturalem excelentiam, et dignitatem tribuitur. Accedit πολιτικα, quae viris, aut principibus aut sapientibus ob rectam ipsorum naturalemque potentiae

sapientiaeve prestantiam vel exelentiam exhibetur. Absoluta pręterea dicitur adoratio, quę personę alia is ob exelentiam, quam in se habet ipsa defertur. Relativa, qua quidpiam adoratur propter ejus rei adquam pertinet aliquo modo, excelentiam: quę quidem Christi Domini, Matri ejus, Sanctorumque imaginibus, et reliquis propter ipsius Christi aut ejus Genitricis, reliquorumve Sanctorum, quos referunt, vel ad quos pertinent, excellentiam. At si pressé, strictéq; adorationis vocabulum accipiatur; cultum λατρειας soli debitum Deo indicat, in actu illo constitutum, quo infectam ejus excellentiam, modis que omnibus infinitam, et summam nostri erga ipsum testificamur summissionem, ac depressionem.

Age vero, ut ad propositum reddeam, hujusce cultus qui religio dicitur,

fundamentum realis est illa relatio, quę inter Deum, et hominem intercedit; quare ut terminis Deo nimirum et homine positis, relatio ejusmodi necessario; sic relatione ipsa constituta efficitur, ut non statui Religio, non sequi non possit. Ex quo non solum neccessariam esse Religionem efficitur, verum etiam utrique naturae Divinę scilicet, et humanę convenire debere, siquidem vera et justa futura sit, non falsa, et absurda. Quo circa quę religio Deo injuriosa sit, vel homini noxia, vera esse, atque justa non potest, sed falsa, et iniqua.

Studendum ergo est homini, primum ut Dei naturam, et atributa, ut jura ipsius in homines in totam rerum naturam omnia, quoad possit inteligat, sentiat insuper et profiteatur. Nec si nesciret, an cultus, quem Deo exhibet, ejus sit-

naturæ excellentiæ majestatique consentaneum ignorabit. At si cui attributo, si cui Deitatis juri cultus erit adversus longe is a vera religione distabit, quæ prorsus, ut ante dixi, Divinis esse debet attributis omnibus et juribus conventanea. Erit autem cultus noster Deo conformis, et gratus, si nihil Deo ipso præstantius, ac excelentius, nihil melius, et optabilius, excogitari posse scientes, et profitentes, nihil ipso prius aut vehementius eligamus, amemus, ambiamus; nihil nos æque, ut ipse delectet; nulla in re alia major à nobis reponetur spes; nullum sic ut, ipsum timebimus, observabimus, reverebimur; si tandem optione nobis data omnia potius amittere, quam de caritate in ipsum et obsequio quidpiam, vel minimum detrahi, aut decedere patiamur

Se quoque homo noscat, ne ejus

religio sua cum natura non quadret; sit que propterea, ut religionis nomine indigna, sic digna superstitionis, et impietatis. Rationis itaque participem li veritatis immortalitatisque animum se habere; brutisque animalibus multo digniorem ipsum esse nobiliorem, ac excelentiorem homo intelligat, est nece se. Nec intelligere satis est, sed ita ut eum decet, qui talis est se prestare.

Jam si vera religio Divinę, tum humanę esse debeat naturę confor mis, ut esse debere possuimus, et con fecimus, quę nec vera Dei atque hominis cognitione mentem informet, et turpibus eam fabulis, et erroribus, atque ineptiis absurdis quę comentis inficiat. falsa est. Quę hominis appetitum non ad summum regat, et dirigat bonum, sed sinat, ut se ille deliciis, otio, in

temperantię, turpidini, bonorum tandem umbris addicat; non vera est, non recta, sed falsa, et prava religio. Quę odium humani generis, et interitum profite- bitur, humana pręcipiet sacrificia, et hominibus se mutuè interficiendi, co- piam faciet; falsa est; ac teterrima: quę ne ullis hujusce vitę bonis utan- tur, hominibus interdat; et hominum nocet conservationi; nec est divina cum providentia conventanea: quare abesse à religionis veritate relinquitur. Qui- busdam enim per Deum nobis utilicet bonis presentibus, quippe cui, ut simus, inplacet, ac vivamus: quamquam illis sic uti nos precipit ut nobismetipsis, ad illud quod omnium est summa, nitentibus non oficiant. Tum quę reli- gio hominibus affectus doceat exipi- endos, cum et utiles nobis esse possint

nec valeant nostra de natura convelli; et noxia est, et inutilis: propterea falsa. Non enim affectus, qui naturales sunt homini ex ipsius natura extirpatos vera vult et recta religio; sed ipsorum moderationem, atque rectionem ne falsi forte sint, aut nocentes.

Quibus expositis confectisque fit, ut tam Ethnica, quam Muhammedana Religio falsa sit, et absurda, cum neutra Divinę humanę neutra naturę conveniat. Atque de Ethnicorum religione, quali scilicet ipsa fuerit, triplex Gentilis illa Theologia quę post Varronem distingui solet, Philosophica nempe Civilis, et Poetica inditio est. Nam ut id, quod verum quidem est, fatear, philosophica Gentium Theologia vera nonnulla dogmata continens, Deum ex. c.

et existere et unum esse prepotentem, providum, sapientissimum; hominum preterea animos non esse mortales, et leges a Deo sancitas, aeternasq. cum premia justis, tum supplicia improbis destinata: ac et falsa multa, veris illis articulis Ethnici ipsi adjecere philosofi, et ipsorum vita et mores errores populi omnes complexa sunt; cum aliud ut perdocte Augustinus scribit in templis cum populo venerarentur aliud in scholis docerent.

Quam ob rem sic in omnes quidem Ethnicos precipue tamen in eorum philosofos Paulus inbehitur „revelatur, inquiens, „ira Dei de Coelo super omnem impietatem, et injustitiam hominum eorum „qui veritatem Dei injustitia detinent: „quia quod notum est Dei manifestum „est in illis, Deus enim illis manifestavit.

„festavit. Invisibilia enim ipsius à creatu-
„ra mundi, per ea quę facta sunt, intel-
„lecta conspiciuntur, sempiterna quoq;
„ejus virtus et Divinitas, ita ut sint in-
„excusabiles. Quia cum cognovissent Deum
„non sicut Deum glorificaverunt, aut
„gratias egerunt; sed evanuerunt in co-
„gitationibus suis, et obscuratum est in-
„sipiens cor eorum. Dicentes enim se esse
„sapientes, stulti facti sunt, et mutave-
„runt gloriam incorruptibili Dei in
„similitudinem imaginis corruptibilis ho-
„minis, et volucrum, et serpentium
„et quadrupedum. (ad Rom. c. 1. a. v 18)

De Civili autem Theologie Ethnice,
de poetice erroribus, et fabulis absurdissi-
mis, quidnam auditores, adjiciam? Pleni
sunt illis Historicorum Poetarumqué
libri Gręcorum et Latinorum. Quod-
ibi, Deus sancte, qualiaqué numina

contingunt. Quęnam rerum classis Deo caret aliquo rectore, vel Dea rectrice? præest segetibus segetia, floribus, Flora, Fluviona fluviis, hortis Pomona, fontibus, montibus silvis, et arboribus Nimpharum, Oreadum, Dryadum, et Hamadriadum turba Dearum. Ad hęc bellis præsidet discordiisq. ac rixis Bellona consiliis Consus, Februtis febribus, Unxia uncionibus, cingulis Cinxia victui et potui Victua et Potua, venereas Perfica absolvit et perficit voluptates.

Hic preterea Jupiter puerorum, et puellarum raptor Bellorum architector discordiarumq. describitur; ibi latro Mercurius reperitur; hic Venus meretrix Mars illic adulter: omnes tandem divinitates illę aut vino deditę describuntur, aut vitis aut iracundę, invidę malevolę dirae, turpissimę. Quę vero discipuli, Bachi, Veneris, Priapi, atque Cereris sacrificia! ita certe

sunt foeda, et obscanitate referta, ut ea re formidet oratio: taceantur. Est ne autem hec vera religio, an iniquissima et absurdissima denique superstitio.?

Sed aliquid de Muhammedana dicamus. Hujus igitur perversae religionis auctor exstit Muahmmedes Meccae exeunte sexto haerae Christianę saeculo natus. Ut autem plures doctrinę suę sectatores haberet, eam commentus est sectam, quę multa cum Ethnicorum tum Judeorum, tum Haerèticorum falsa dogmata comprehenderet. Quo autem libro leges, statuta, dogmataque continentur Muhammedana, eum Alkoran Turcę appellant; cujus totam doctrinam in quinquaginta capita redigi posse Gaspar Calvorius septimo libri de variis Orbis religionibus decimi octavi capite docet. Illa autem capita sic se habent.

31

I Necessariam esse revelationem II Deum propterea sua profetis Moysi, et Christo mysteria revelasse. III Moysi legem, Psalterium Davidi, Christo evangelium a Deo datum IV Quapropter qui Moysi, qui Christo, tunc scilicet, cum eorum doctrina vigui crediderunt, salvos eos fieri potuisse. V Ut Moisis legem, sic Davidis Psalterium, et Christi Evangelium fuisse hominibus perdificile, omnique intolerandum. VI Judeos praeterea vel Christianos, scripturas adulterasse. VII A Deo Mahummedem provinde missum, eas restituturum, novamque legem promulgaturum VIII Ipsi praeterea Mahummedi Deum quidquid ille homines docturus erat, revera esse. IX Divinas ejusmodi revelationes ~~homines~~ in Alkorano consignatas X Ex illis unum duntaxat Deum esse contare. XI Quam

ob rem tres Deo personas esse falsissimum.
XII Jesum Mariæ Virginis Filium verum Deum esse, pariter falsum, cum Dei tantum sit Apostolus, et Propheta.

XIII Deum corporeum esse, atque finibus circumscriptum: quamquam id esse Mahumedanis jure tribui nonnulli negant.
XIV A Deo præterea verum universitatem sine Filio, Sanctoque Spiritu factam. XV. Pestifero ex igne Diabolum esse conflatum.
XVI Homines ex multi colore terræ pulvere sic a Deo conflatos, ut aliorum pulvis hominum albuerit, aliorum niger, alius aliorum, unde varii variarum gentium colores profecti sint. XVII Homini animam Divinæ esse naturae particulam. XVIII Angelos mentes non esse corporea. XVIIII Suo circa gignere illos posse XX Esse peccatis obnoxios. XXI Sed et ipsos sua posse lugere com-

missa, atque horum veniam: deinde quē-
beatitudinem adipisci. XXII Deum fato
in mundi ratione subjectum. XXIII Prop-
terea ita fixos uniuscujusque vitae ter-
minos fato constitutos, ut nec brevior illa
possit ullo esse modo, nec diuturnior. XX
IV. Hominem bene, vel male agere ne-
cessario. XXV Atque adeo necessario aut
salvum esse, aut salutis expertem.

XXVI Hominem a Deo constitutum
esse Caliphan, illius scilicet in terra Vi-
carium. XXVII Hebraicam homini legem
esse servandam. XXIII Qua propter ma-
res circumcisionis legi subjectos. XXIX
Sacrificia etiam offerenda. XXX. Tem-
pora quoque sacra servanda. XXXI seu
publica illa sint tempora, seu privata.
XXXII Quales quotidianae sunt preces. X
XXIII Hebdomadariaque sacra, praesertim
Veneris die XXXIV. Et anniversaria

quorum precipuum est jejunium mensis Romadam. XXXV. Pribatos deinde ritus potissimum lotiones esse serbandos. XXX-VI Ciborum etiam differentiam XXXV II. A vino insuper abstinendum. XXXVI II Quemadmodum ab usuris.

XXXIX. Juramenta esse servanda XL Magistratum summo quidem honore afficiendum. XLI Quare quecumque lex, judeosve imperet observanda. XLII-Ejus autem, qui transgresus est legem modo ipsum facti peniteat, delexi pecatum. XLIII Eumque salutem adepturum, qui sic vitam instituet, ut aut innocens, aut poenitens sit. XLIV Prius autem, quam homo ad vitam perveniat alteram eum ab Angelo mortis interfici. XLV Prius etiam quam caelum ingrediatur à suorum pungari reliquiis peccatorum. XLVI Juvandas propterea eorum, qui vita functi

sunt animas precibus et suffragiis XLV
II Mortuorum resurrectionem certo futuram
XLVIII Extremum quoque judicium XL
IX Fideles piosque homines Paradisum in-
gressuros. L Impios vero et incredulos ad
inferos depellendos.

Haec est igitur Muhammedanae sum-
ma doctrinae, quam Relandus, Hottinge-
rus ille ipse quem supra meminimus Cal-
vorius, Maracius, Reineccius latius ex-
ponunt. Jam vero Religionem hancce ab-
surdam esse mille modis ostendi poterit, imo
ipsa tantum ejus expositione satis, ut cer-
nitur, refutatur. Nam neque est sum-
mae e nulloque pendenti naturae Dei Opt.
Max. conveniens, cum illum doceat fato
subjectum nec humanae cum nulla men-
tis, sed corporis dumtaxat bona offerat
speranda. Quid quod in AlKorano Chri-
stiana religio vera esse decernitur, cui

pluxima tamen sunt Mahummedana in superstitione Contraria? Qui tandem id convenire possit ignoro. Aut enim Christiana religio falsa, aut vera est. Falsa ponatur. Et falsam esse oportet Mahumedananam ubi Christianę religionis veritas statuitur. Atqui non falsa sed vera ut est, constituatur. Falsa quoque et absurda Muhammedana, quę multa complectitur Christiana cum religione pugnantis. Muhammedanorum igitur secta non vera, sed falsa religio est, et putida superstitio.

Atque multa in Alkorano contenta esse quę Christiana cum religione repugnant, ipse testis est Alkoranus. Hic enim Deus, quem liberrimum è nullo que pendente, atque nulli subjectum, incorporeum prętereà, mentem scilicet purissimam, nullisq. finibus

circumscriptum. Profete et Apostoli docuerunt; fato parere coactus describitur, corporeus, et finibus. Hic a Deo Trinitas eripitur personarum, a Christo deinde divinitas, quod est Profeticę, Apostolicęq. doctrinę prorsus adversum. Hic non Jesum quidem ipsum, sed simulacrum ejus quoddam illo clam in Coelum subducto, cruci affixum esse docetur: quod est Evangelio plane contrarium. Magna preterea religionis pars Muhammedanę in Hebraicis constituitur ceremoniis quas Apostoli rejecere. Poligamiam, uti dixerim simultaneam aprobat Alkoranus quindecimq.[e] simul uxores habuit Muhammedes, quod Christus improbat apertissime. Alkorani etiam preceptum est religionem ferro, et vi propugnandam quo nihil cum Jesu Christi doctrina, et ipsa cum Ratione pugnantius.

Denique cum suam Mahumedes missionem, atq. doctrinam nullis probaverit argumentis, non miraculis, non profetiis, non vitae sanctitate, ac integritate cum ipsum raptorem fuisse constet, iracundum, mendacem, fraudulentum, mulierosum: quis sibi persuadeat, Dei fuisse profetam a Deo ipso, ut religionem instauraret, quod Muhammedani somniant, missum. Mille ego mitto nugas, mille fatulas, mille commenta, absurda, iniqua, turpissima, quę miror in homines cadere potuisse.

Atque hic quidem ne justo longior fiam, breviter innuam Atheismum, sive qui Materialismus vocatur, Hobbetianismus, Epicureismus, sive qui dicitur Panteismus; superstitionem etiam Scepticissimum Politichismum Hypochritismum, et Indifferentissimum a vera procul religione

distare. Nam Atheismus cum Deum è medio tollat, Religionem etiam omnem funditus vertit. Superstitio autem nec cum Dei, nec cum hominis natura consentit; cum aut verum false Divinitati tribuat cultum, aut falsum, et iniquum verae. Nihil est generali de Scepticismo quod dicam: Deum enim nec tollit Scepticus, nec statuit; nec eum negat esse, nec ait. Quid inquam cum Deo rectaque ratione propugnantius. Deinde Politichismus cum religionem, quę vel ipsa natura prescribitur est q.d. Deo et homine pariter necessaria hominum commentum esse constituat; et Deo et homini adversus est, ideoquè falsa et absurda religio. Hipocritismus est summe quam Deus habet in omnia dominationis irrisio: videte igitur ne dignus sit qui nomen religionis accipiat. Tum Indiferentibus quoniam omnem non christianam modo quę cum illa sit Chatolica scilicet, vel Heretica

approbet religionem; verum etiam Scithicam et Paganam; nihil profecto minus est, quam vera religio. Atque de vera falsaque religione generaliter disseruimus.

Caput Septim.^m

de naturali religione atque revelationis necessitate.

Sequitur, ut de naturali doceam religione, qualis scilicet illa sit, vera ne et sancta, an falsa et iniqua; esse que sanctam veram que constituto, num nobis sine revelatione ad Beatitudinem obtinendam sufficiat, an ne sit in id revelatio insuper necessaria. Duo ergo fore capitis membra perspicitis; num naturalis religio recta sit, num cum sit recta felicitatis nostræ adeptioni sine revelatione sufficiat. Atque naturalis nomine religionis et cogni-

tionem Dei, quę sola duce natura habetur, et cultum huicce notitię consentaneum, ut superioribus monui articulis intelligimus. Quis enim audeat (valeat dicam potius) dubitare, quin tota rerum universitas suum monstret, atque testetur auctorem? Non enim a nihilo cum sint aliquod facte sunt, sed ab aliquo, et infecto quidem, ob idque infinitè perfecto, ne progressionis habeatur infinitas, quod saepius inculcavimus. Naturę certae liber amplissimus divinitatem ostendit, in eo que gentes prorsus omnes Deum didicisse cognoscimus. Divini etiam vates „ Cælos enarrare gloriam Dei ipsiusq. vultus lumen super nos signatum esse docuerunt. (Psal. 18 et 4) Paulus accedit gentium Apostolus sancto quoque afflatus spiritu invisibilia Dei à nobis per ea quę facta sunt intellecta conspici, dicens. (Ad Rom. c 1. v 18.

Hujus igitur religionis duae sunt

partes: theoretica ut ita dicam et practica.
Neutra autem quidpiam docet, quod non recta cum ratione consentiat; quod non recta ipsa ratio toti humanę naturę praescribat. Quid enim docet speculatrix naturali religio? Hoc nempe, mentem existere sempiternam, immutabilem omnipotentem, sapientissimam, optimamque beatissimam, rerum, quę sunt, fuerunt que omnium efectricem, serbatricem moderatricem, ideoque beneficam, providam, justam, quę scilicet mala hominum ~~animos immortales~~ bonaque merita supliciis remuneretur, aut premiis: esse preterea hominum animos immortales, ideoque alteram aliquam esse vitam, ubi beati possint esse, vel miseri esse insuper in natura legem, divinitus promulgatam, moralis vita ductricem, cujus hoc est caput precipuum,

„ Ut suum cuique jus, sive innatum illud sit,
„ sive partum legitime tribuatur.

Hactenus Theoretica: quid vero doceat practica, videtote. Mentem illam ipsam cum summe sit bona, summe amandam; cum hera omnium, vel domina pertimendam; cum parens, venerandam; cum rectrix omnium, invocandam, ab eoque beatitudinem sperandam; cum benefica, illi gratias referendas; cum imperatrix ejus legibus obediendum, atque adeo omnes prorsus homines, tamquam fratres habendos, omnes amandos; nullique injuriam, nulli incommodum, aut molestiam inferendam. Haec practica naturalis religio cuique prescribit. At cum haec tum illa Theoreticae documenta a sua quisque ratione, modo illam auscultet, accipiat. Haec enim satis patent omniumq. gentium sunt firmata consensu. Naturalis ergo-

religio quippe quę illa omnia contineat, vera est, recta, et santa, utilis etiam, et necessaria: sic, ut, qui illi non pareat, maximo is in errore versetur. Atqui hac de re quam solus negat Atheus affatim dictum est.

Sed an una naturę lex ac religio hominibus, quales nunc sunt scilicet naturae corruptę ad Beatitudinem sufficiat, expendatur. Certe non sufficit quidquid audacissimus Deista reclamet. Nam primum naturalis religio, seu veritates illae omnes, quę de Deo sola naturę ratione habentur, non nisi acri, diuturno rectoque usu rationis addiscitur. Hunc autem alii quod sint perspicacitatis expertes alii obrutae ipsorum rationes instituere nequeunt. Atqui religio est omnibus necessaria. Alium modi ergo, quam via rationis ad

eam informemur necesse est. Naturalis igitur religio quippe quae promulgatur ratione, qua multi sive uti nesciuntur, sive nequeunt profecto non sufficit; sed requiritur praeterea revelatio. Deinde ratio naturae nisi duce magistra quae revelatione erroribus est obnoxia quam pluximis, quod Ethnicorum religio Philosoforum impietate vel superstitione plena testatur.

Quam in rem optime cadit illud
„ Angelici. „ Ad ea inquit, quae de Deo
„ ratione humana investigari possunt,
„ necessarium fuit, hominem instrui re-
„ velatione Divina: quia veritas de Deo,
„ per rationem investigata, a paucis, et
„ per longum tempus, et cum admistio-
„ ne multorum errorum homini proven-
„ niret: a cujus tamen veritatis cognitio-
„ ne dependet tota hominis salus, quae

in Deo est. Ut igitur salus hominibus et convenientius, et certius proveniat; necessarium fuit, quod de Divinis per Divinam revelationem instruerentur. Necessarium igitur fuit preter Philosoficas disciplinas, quę per rationem investigantur, sacram doctrinam, per revelationem haberi. (1. p. q. 1 art. 1. in O)

Preterea quem finem Deus hominibus proposuit is totam quantacumque est humanę mentis vincit, et superat. Oculus enim, ait ore Isaia non vidit Deus, absque te, quę preparasti, exspectantibus te. (c. 64. v. 4.) Quem quidem locum Apostolus memorans, oculus inquit non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quę preparavit Deus iis, qui diligunt illum. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. (1. ad Cor. c. 2 vv. 9. 10) Jam cum homines finem agnoscant, ut in ipsum

"

suas et cogitationes, et actiones dirigere possint necesse est. At ratione naturæ, quæ summo fine illo vincitur, esse idneqüit. Revelatio ergo est opus quod ibidem concludit Angelicus. Religio igitur naturalis homini ad beatitudinis adeptionem non sufficit.

Huc accedit humanæ naturæ perversio, sæpissime adversus rationem tumultuantis, pugnantis, seque insolentius efferentis, quam hominum nemo non experitur. Video autem, ait Apostolus, aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ergo homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (Ad Rom. C. 7. vv. 23. 24. 25.) Alibi, caro concupiscit adversus spiritum, spiritus

autem adversus carnem; hac enim sibi-
invicem adversantur, ut non quæcumque
vultis illa faciatis. (Ad Galt. c. 5. v. 17) Vis
igitur aliqua prepotens humanæ viribus
mentis accedat oportet, qua furor ille
effrenataque affectuum violentia superetur.
Hanc autem sola lex naturæ non præs-
tat, ut patet. Necessaria igitur revelatio
est hominibus siquidem illi ademptura e-
sim beatitudinem.

Caput Octavum

de Christianæ Religionis existentia, ut ajunt, veritate, ac Divinitate.

Age vero existit quidem certe re-
velata Religio, quandoquidem, necessaria erat
homini, ut felicitatem, quam ut adipisce-
retur, est factus, tandem aliquando va-
leat obtinere. Est sane homini ad beati-

tudinem ademptionem revelatio, ut confecimus necessaria. Est Deus praeterea clementissimus, et hominum amantissimus, quos ut beati essent, fecit è nihilo. Qui ergo conveniat, ut eos sui finis incertos vagari permittat? Religionis igitur revelatae necessitas et summa Dei cum benignitas, tum providentia eam revera existere persuadent. Huc accedit mirifica omnium hac in re nationum omni in tempore, et loco consensio, doctrinam nempe quamdam Divinitas revelatam esse hominibus ad mores ad Dei cultum eos plenissime, ac informantem. Quod nisi revelatio ejusmodi facctor esset, undenam consensus potuit ille omnium proficisci?

Hanc autem doctrinam illis in libris esse contentam qui propterea Divini et sacri vocantur, tam Novi

quam Veteris Testamenti Christiani omnes uno ore conclamant. Atq. hanc quidem ipsam, et veram prorsus, et Divinam esse conficio. Quod ad veritatem spectat, primum de Theoretica Christianæ Religionis parte, de Practica postmodo differetur; et utramque esse constabit. Pars enim ejusmodi Religionis utraque et omnino naturali cum Religione, quæ vera est quidem et sancta consentit; et illam insuper illustrat, et perficit: quam obrem veram prorsus Christianam Religionem esse relinquitur.

A Theoretica ergo ut exordiar parte, hæc libri illi nos docent: Deum esse,
" et mentem esse, non corpus. " Vani sunt, om-
" nes homines in quibus non subest sci-
" entiâ Dei, et de his, quæ videntur bona
" non potuerunt intelligere eum qui est,

„ neq. operibus attendentes, agnoverunt, quis
„ esset artifex. (Sap. 13. 1) Interroga ju-
„ menta, et docebunt te, et volatilia Coeli, et
„ indicabunt tibi. Quis ignorat, quod hec
„ omnia manus Dei fecerit? ~~Jerob.~~ Job. c. 12.
„ v. 7 et 9) Spiritus est Deus (Joan. 4. 24)
„ Preterea aeternum: et invocabit nomen
„ Domini Dei aeterni. (Gen. c 21. 33.) Vivo
„ ego in aeternum. (Deut. 32. 40) Nunquid
„ nescis, aut non audisti? Deus sempiter-
„ nus est. (Isai. 40. 18.) Regi seculorum
„ immortali. (1 ad Tim. c. 1 v 17) Hec dicit
„ excelsus et sublimis, et habitans aeter-
„ nitatem. (Isai c. 57. 15) Unicum: audi Is-
„ rael Dominus Deus noster, Dominus unus
„ est. (Deut. c. 6. v. 4) Unus Deus, et Pater
„ omnium qui est super omnes, et per
„ omnia et in omnibus nobis. Ad Ephes.
„ c. 4. v. 5.) Unus Dominus, una fides, unum
„ Baptisma. (ibid. v. 5) Videte, quod ego

sim solus, et non sit alius Deus, praeter me:
ego occidam, et ego vivere faciam, percu-
tiam, et ego sanabo. (Deut. c. 32. v. 39)

Deinde immensum: numquid non
coelum et terram ego impleo, dicit Domi
" nus? (Hierem. 1. 23. 24.) " Quo ibo à Spiritu
" tuo? et a facie tua fugiam? si ascendero
" in coelum tu illic es; si descendero in
" Infernum ades: si sumpsero pennas
" meas diluculo et abitavero in extremis
" maris, etenim illuc manus tua deducet
" me, et tenebit me dextera tua. (Psal.
" 138. a v. 7) Plena est omnis terra glo-
" ria ejus. (Isai. 6. 3.) In ipso vivimus
" movemur, et sumus. (Act. 17. 28) Im-
" mortalem praeterea, et immutabilem
" et veracem: Qui solus habet immorta
" litatem, et lucem inhabita inaccessibi-
" lem. (1. ad Tim c. 6. v 16.) Apud quem
" non est transmutatio, nec vicissitudinis
" obumbratio. (Jacob c. 1 v. 17) Non est

„Deus quasi homo, ut mentiatur; nec
„ ut filius hominis, ut mutetur. Est autem
„Deus verax; omnis autem homo men-
„dax.„ (ad Rom. c. 3 v. 4.)

„ Infinite quoque sapientem, om-
„nipotentem, beatissimum: Domine, qui
„habes omnium scientiam (Est. c. 14 v. 14)
„Deus eterne, qui absconditorum est cogni-
„tor, et nosti omnia, antequam fiant.
„(Dan. c 13 v 42.„) subest tibi cum vo-
„lueris posse. (Sapi. c. 12 v 18) Ego sum Do-
„minus faciens omnia extendens coelos
„solus, stabiliens terram, et nullus mecum
„(Isai. c 44, 24.) Qui vivit in aeternum
„creavit omnia simul. (Eccles c. 18. v 1.)
„Deus meus es tu, quoniam bonorum me-
„orum non eges. (Ps. 15 v 1) Beatus et
„solus potens. (1. ad Tim. c. 6 v 15.) Mun-
„di preterea auctorem, servatorem, mo-
„deratorem; cuncta fecit bona in tempore

" (Eccles. c. 3. v 11) Domine tu es qui fecisti
" coelum, et terram, et omnia, quæ in eis
" sunt. (Act. c. 4 v 24) Pusillum et mag-
" num ipse fecit, et æqualiter est illi cu-
" ra de omnibus (Sap. 6. 8.) Spiritus Dei
" fecit me et spiraculum Omnipotentis vi
" vificavit me (Job c. 33. v 4) Attingit
a fine usque ad finem fortiter, et dis-
" ponit omnia suaviter. (Sap c. 8 v 1.) Non
" ne duo passeres veneunt, et unus ex illis
" non cadet in terram sine Patre vestro?
" (Math. 10. 29.) Respicite volatilia coe-
" li quoniam non serunt, nec metunt, neque
" congregant in horrea. et pater vester
" coelestis pascit illas (ejusd. Mat. c 6. 26.
" Optimum etiam misericordem
" et justum. Bonus es tu. (Psalm. 118 v 68)
" Domine Deus omnium creator terribi
" lis et fortis, justus et misericors, qui
" solus bonus es Rex, solus præstans -

" solus justus, et omnipotens, et aeternus.
" (ibid. 2. Mac. c. 1. vv. 24. 25) Mundi sunt
" oculi tui ne videas malum, et respicere
" ad iniquitatem non poteris. (Habac. c. 1.
" v. 13.) Quam bonus Israel Deus his, qui
" recto sunt corde! (Ps. 72. v. 1.) Misereris
" omnium, quia omnia potes, et dissimulas
" peccata hominum propter pœnitentiam:
" diligis enim omnia, quæ sunt, et nihil
" odisti eorum, quæ fecisti (Sap. c. 11. vv. 24. et 25)
" Suavis Dominus universis, et miserationes
" ejus super omnia opera ejus. (Psal. 144.
" v. 9) Misericordia Domini plena est ter
" ra. (Psalm. 32. v.° 9) In veritate comperi
" quia non est personarum acceptor Deus,
" sed in omni gente qui timet eum, et ope
" ratur justitiam, acceptus est illi. (Act.
" 10. vv. 34. et 35.) Justus Dominus, et justitiam
" dilexit aequitatem vidit vultus ejus.
(Psalm. 10. v. 8.

Esse insuper hominus animos

" mortalitati expensas, eos quę aeterna
" pro bonis premia; pro malis vero meri-
" tis suplicia, vita hac extincta manere.
" Quoniam ibit homo ad Domum eterni-
" tatis suę. (Ecles. c. 12. v. 5) Et revertatur
" pulvis in terram suam unde erat; et spi-
" ritus redeat ad Deum qui dedit illum (Ibid.
" eod. c. v. 7) Nolite timere eos, qui occidunt
" corpus, animam autem non possunt oc-
" cidere; sed potius timete eum, qui potest,
" et animam, et corpus perdere in gehen-
" nam. (Mat. c. 10 v. 28) via peccantium
" complanata lapidibus et in fine illorum
" inferi, et tenebrę, et pennę. (Ecles. 21. 11)
" Ignis subcensus est in furore meo, et
" ardebit usque ad inferni novissima: devo-
" rabitque terram cum germine suo, et
" montium fundamenta comburet. (Deut.
" c. 32. 22.) Palea comburet igni inextin-

„quibili. (Math. c. 3. v. 12) Discedite à me
„maledicti in ignem aeternum (Mat. c. 25 v.
„41) Ingrediemur in requiem, qui credidimus.
„(Ad Heb. c. 4. v. 3) Gratiam et Gloriam dabit
„Dominus. Psalm. 83. 12. Justi in perpetuum
„vivent, et apud Dominum est merces eorum.
„Sap. c. 5. v. 16).

Age nunc hęc est Sanctorum doctrina fęderis utriusq. librorum. Hęc autem cum naturę ratione concordat. Hęc omnes naturalis Religionis articulos perficit, et illuminat. Vera illa est igitur, et Religio ergo Christiana cujus illa sunt dogmata. Sed quoniam de Theoretica ejus parte satis diximus, veniamus ad practicam ipsiusque veritatem pariter ostendamus.

Hujusce porro partis est, quę cum Deo tum nobismetipsis, tum aliis debeamus Officia patefacere. Nihil jam vero illius

„

verius et divinius preceptionibus, quas hanc in rem mirifica duo illa Christianorum Testamenta, Vetus, nimirum, et Novum, complectuntur. Nam quod ad Dei spectat Officia ipsum summe amandum esse prescribunt, atque colendum benedicendum, et observandum. Hujusque amoris, reverentię q. signum esse certissimum, si illius leges omnes et jussa serventur. Invocandum preterea, timendum agendas illi ipsi gratias et habendas: in eo spem nostram reponendam; hęc preterea omnia non externis modo ritibus, sed _spiritu_ potissimum, et _veritate_ prestanda. Quod ut pateat utriusque volumina Testamenti pandantur.

„ Diliges Dominum Deum tuum ex toto
„corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota
„fortitudine tua. Hęc Deuteronomium haec Mathei, hęc Marci, hęc Lucę evangelia, hęc omnia fere sanctorum folia librorum.

„ (Deut. c. 6. v. 5) (Math. 22. 37.) (Marc.
„ 12. 13) (Luc. 10. 27) Glorificantes Dominum
„ quantumcumque potueritis; superavalebit enim
„ adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Be-
„ nedicentes Dominum exaltate illum, quan-
„ tum potestis, major enim est omni laude. (
„ Eccles. 43. 32. 33) Regi autem sęculorum im-
„ mortali, invisibili soli Deo honor et gloria. (
„ Ad Thim. 1ª. 1. 17) Glorificate, et portate Deum
„ in corpore vestro (Ad Cor. 1. 6. 20) Qui habet
„ mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit
„ me. (Joan. 14. 21) Exaltate, et invocate no-
„ men ejus. (Ibidit c. 16 v 2.) Omnis quicumque
„ invocaverit nomen Domini salvus erit.
„ (Act. c 2. v 21) (Joel. c. 2 v 32) (Ad Rom. 10. 13)
„ Beatus homo qui semper est pavidus. (
„ Prov. c 28. v 14) Timor Domini fons vitae
„ (Prov. 14. 27.) Timete Dominum omnes
„ sancti ejus, quoniam nihil deest timenti-
„ bus eum.) Psal. 33. v 16) ubi introjicis Dominum

„tuam statim adora Dominum Deum tuum, et
„gratias agens ei, accede (Thob. c 11 v 7.) Gratias
„agere debemus semper Deo (Ad thes. 2a c 1.
„v.3.) Ne accesseris ad illum, hoc est, ad Deum
„duplici corde. (Eccle. 1. 36) Sed venit hora,
„et nunc est quando veri adoratores adora-
„bunt Patrem spiritu, et veritate. Nam
„et Pater tales quęrit, qui adorent eum.
„Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum,
„in spiritu, et veritate oportet adorare
„(Joan. c. 4 vv. 23. 24.) Sicut enim corpus sine
„spiritu mortuum est, ita et fides sine ope-
„ribus mortua est (Jacob 2. 26) Hęc quidem
„de Officiis Deo debitis ab hominibus, quę, ut
„patet, recte rationi non modo consentanea
„sunt, verum etiam illam vincunt, perfici-
„unt, et illustrant.

„ Quid autem sibi ipsi debeant homi-
„nes, hic, hic, nostris inquam sacris in libris,
„arrogans, petulans q. Deista legat, et dicat.

„ Hic virtus nobis omnis praecipitur: hic bono-
„ rum hujusce vitae contemptus; atque aeter-
„ norum, quibus beari soli possumus desiderium:
„ hic non ad hanc nos, ut pecora, vitam: sed
„ ad aliam, et beatissimam, et aeternam legimus
„ factos. Sancti estote, quia ego sanctus sum:
„ (Lev. c 16 v. 44) Fortitudo autem, et omnis im-
„ munditia, aut avaritia nec nominetur in
„ vobis. sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut
„ stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad eum
„ non pertinet. (Ad Efes. c. 5. vv. 3. 4) Noli
„ timere, ego protector tuus sum et merces
„ tua magna nimis (Gen. c 15. v. 1) Non impe-
„ diaris orare semper, et ne verearis usque ad
„ mortem justificari: quoniam merces Dei ma-
„ net in aeternum (Ecli. c. 18. v 22) Si quis
„ vult post me venire, abneget semetipsum, et
„ tollat crucem suam et sequatur me:::::: Quid
„ enim prodest homini si universum mundum
„ lucretur, animae vero suae detrimentum

„patiatur. (Math. c. 16 v. 24 et 26) Nolite
„Thesaurizate vobis Thesauros in terra, ubi
„aerugo, & tinea demolitur, et ubi fures effo-
„diunt, & furantur. Thezaurizate autem vobis
„thesauros en Cœlo ubi nec aerugo, nec tinea
„demolitur, et ubi fures non fodiunt, nec furan-
„tur. (Math. c. 6. v 10) Nolite fieri sicut equ-
„us et mulus, quibus non est intellectus.
„(Psal. 31. v. 9) Non habemus hic manentem
„civitatem, sed futuram inquirimus. (Ad
„Hebr. c. 13. v. 14) Consimilia Micheas (c. 2.
v. 26) Hactenus hominum officia, quæ sibi
quisq.[ue] debet ex sacris Christianorum libris
exprompta; quæ ut est perspicuum rationi
congruunt rectæ, ipsamque illuminant, et
perficiunt.

Ea subjiciam denique, quæ aliis
alii homines debeamus. Sunt autem ea,
prout sacri illi codices docent, non rationi
modo rectæ conformia; verum etiam illa

ipsa

multo altiora, perfectiora, diviniora. Omnium enim amor ut pote natura compariium, etiam inimicorum; beneficentia insuper; concordiæ, pacis et tranquilitatis studium Magistratibus, Principibus, Regibus obedientia Officia sunt erga homines, ex Christianæ Religionis præceptionibus, et decretis. „In hoc „cognoscent omnes quia Discipuli mei estis, „si dilectionem habueritis ad invicem. (Joan. „c. 13. v. 35) Hoc est præceptum meum, ut „diligatis invicem, sicut dilexi vos. (Joan c. 15. „v. 12) Diligite inimicos vestros, benefacite „his, qui oderunt vos; et orate pro persequen„tibus, et calumniantibus vos; ut sitis Patris „vestri, qui Cœlis est. qui Solem suum oriri „facit super bonos, et malos, et pluit super „justos, et injustos. Si enim diligitis eos, qui „vos diligunt, quam mercedem habebitis? „nonne et Ethnici hoc faciunt? Estote ergo „vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis,

" perfectus est. (Math. c 5 v. 44)

" Preterea frater, qui adjuvatur à fratre,
" quasi Civitas firma. (Prov. 18. 19) Alter al-
" terius onera portate, et sic adimplebitis
" legem Christi. (Ad Gal. c. 6 v 2) Pauperi
" porrige manum tuam (Eclei. c. 7. v 36.) Ec-
" ce quam bonum, et quam jucundum habi-
" tare fratres in unum! (Psal. 122. v. 1) Si fie-
" ri potest, quod ex vobis est, cum omnibus
" hominibus pacem habentes" (Ad Rom. c. 12
v. 18) Omnis anima potestatibus sublimi-
oribus subdita sit; non est enim potestas,
nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo et ordi-
nate sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei
ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi
sibi donationem acquirunt; nam principes
non sunt timori boni operis, sed mali. Vis
autem non timere potestatem? bonum
fac, et habebis laudem ex illa. Dei enim
minister est tibi in bonum. Si autem ma-
lum

feceris, time; non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote. Non solum propter iram, sed etiam propter concientiam. Ideo enim et tributa prestatis:::: Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. (Ad Rom. c. 13) - Consimilia prima beatissimi Apostolorum principis habet epistola; (c. 2. a v. 13) liberque is Divinus qui Sapientia inscribitur (c. 6. v. 4)

Si ergo ea est librorum utriusque Testamenti doctrina, que optime naturali Religione consentit, que rationi congruit rectae, que illa preterea iuvat, auget illuminat, perficit; que nihil non rectum, non sanctum, non Divine humaneque nature conventaneum docet ac precipit; que eo tendit, ut iusti sint homines, ut honesti

ut humani, ut mites, ut benefici; quo et hic quoad mortalitas patitur et postquam mortalitatem expleverint, plene queant esse felices: quę mala vetat omnia, intemperantiam, libidinem, immodestiam, avaritiam, inhumanitatem, superbiam, injustitiam, obtrectationem, malevolentiam, cętera quę probis pręmia, supplicia contra improbis aeterna proponit: ejusmodi quęso doctrinam, et legem quisnam veram et sanctam esse difiteatur; modo aut ille rationem ullam possideat, aut quid sit veritas, cognoscit, et sanctitas?

Restat ut de ejusdem divinitate doctrinę quoniam de veritate constitit. dissenamus. Eam igitur Divinam esse; hoc est, non ab hominibus excogitatam, aut ratiocinatione detectam; sed a Deo humano ipsi generi revelatam; duo precipue argumenta

prorsus invicta demonstrant. Vaticinationes scilicet, et Miracula. Duo haec namque vim omnem superant factam; quo circa si aut Profectae funduntur, aut mira patrantur, Deum loqui ipsum necesse est. Jam sacrorum doctrina voluminum utrumque secum Profetiarum, et Miraculorum habet inditum: nam et est hominibus profetiç via nuntiata, et Miraculis preterea innumeris, et insignibus confirmata. Quin ergo divina illa ipsa sit dubium esse non potest. A vaticinationibus exordiamur.

Quot, Deus sancte, quamque perspicue in veteris codicibus Testamenti de Christi ortu dignitate, officio, doctrina, miraculis; quot de passione ipsius, morte, sepultura, resurrectione, assentione; ex gentium preterea vocatione, reprobatione neq. Judeorum, vaticinationes luculentissimae reperiuntur! Christum namque

de semine Abrahę, Isaaci, Jacobi, Judae, Jesae, Davidis Salomonisq. nasciturum, Geneseos liber prenuntiat (c 12 v. 42. et c 22. 29. et 26. 24 et 28. 12. et 49. 16) Regum etiam secundus. (7 v. 12. et 13) Primus Paralipomenon (17. 11) Psalterii. (Psalm. 71 v. 1 et 7) Isaiae demum (11. 1.) et Hieromiae (c 23. v 5. 6. et c. 33 v. 15) Adventus praeterea ejus tempus Genesis liber. c 49. 10) et Danielis: (2. 40) Ex virgine concipiendum, et oriturum Isaiae (7. 14) Ezechielis. (44 2) et Hieremię (31. 22) in Bethelem nasciturum Michee (c 5. 12) Jesum, quod est quidem salvatorem, esse vocandum ac Emanuelem, quo nobiscum Deus latine vertitur ex Hebraico Isaiae (12. 13) Abacuc (3. 18.) Zacarię (99) et iterum Isaię (7. 14)

A Magis cum muneribus adorandum Davidis, (Psal. 71 v. 1) et Isaię (60. 6) Egiptum fuga petiturum, ac rediturum, Osee (11. 1) Infantium caedem Herode praecipiente, perpetrandam, Hieremię. (31. 15.) Joan-

nem

Christi Domini precursorem futurum, sancti que Spiritus ipsum in Christum illapsurum et Patris eundem Filium predicaturum mittentis, sermonem, in Galilea concionaturum Jesum, et Capharnaum, Isaiae (49. 3, et 61. 1.) Multa in parabolis locuturum Davidis (Psalm. 77. 2.) Miracula patraturum, omnia que morborum, languorumq. genera sanaturum, Isaiae (42. 6. et 53. 4. et 61. 1) Humilem futurum despicatui, et odio habendum, Davidis (Ps. 21 v. 7) Isaię (53. 3) Hieremię, (32 v 33.) Sapientiae. (2. 29)

Asinâ vectum Hierusalem ingressurum Geneseos (49. 16) Zacarię (9. 9.) Concilium adversus ipsum convocandum Hieremię (11. 19) A Juda prodendum, argenteis que triginta vendendum, Davidis, (40. 16) et Zacharię (11. v. 12. et 13) A falsis testibus accusandum, Davidis. Psal. 26. v. 12. et Ps. 34 v. 12.) Conviciis et oprobiis affici-

ciendum Davidis (Ps 21. v. 7) et Isaiae (c. 53. v. 4) Alapam impingendam Ieremiae (Tren. c. 3. v. 30) in crucem agendum, duosque inter latrones locandum, Davidis (Ps. 21. 17) et Isaiae (c 53. 12) pro iis, qui crucifixurum ipsum essent Patri supplicaturum, Isaiae (53. 12) Vestes ejus sorte inter carnifices, et milites dividendas Davidis (Ps. 21 v. 19) Ipso animam exalante, Solem defecturum telluremque concutiendam Davidis (Ps. 17 v 5) et Amos (c. 8. 8.) felle et aceto potandum Davidis (Ps. 68 v. 22. et Ierem. (Tren. c. 3 v. 5)

Mortem illum esse passurum Isaiae (53. 7) Danielis (9. 26) et Zacariae (11. 10) Neutiquam ejus crura frangenda Numerorum (12. 46) Latus lancea perfodiendum, Zacariae (12. 16.) Sepeliendum insuper Isaiae (11. 10) Davidis autem, et Oseae, resurrecturum. (Ps. 3. 6.) (13. 14) In coelum

Deinde ascensurum, ad Patrique dexteram consessurum, Davidis (Ps. 23. v. 7 et 15. 10) Sanctum in Discipulos missurum spiritum, Isaiç (52) Zacarie (12. 30) Joelis (2. 28) Ezechielis (36. 26) Ad Ecclesiam ab ipso constituendam, gentes omnes esse venturas, Isaiae. (2. 2.) Ecclesiae ipsius Ministros et Concionatores Isaiae (40. 9) Nahu. (1. 15) et Jeremiae (3. 15. Fidelium maxima hominum, Davidis, Ps. 72. v. 1. et seq.) et Zachariae (13. 7) Ecclesiae sacrificium incruentum, Malachiç (1. v. 11. 10) ipsius totum per orbem propagationem terrârum, Malachiae itidem (ibid.) et Davidis (Psalm. 4) Judeorum sacrificia repudianda Malachiae. (ibid) Judeis Gentes preferendas, deuteronomii (28. 43) Judeos denique rejiciendos Danielis, (9. 26) et Isaiae (1. 1. et seq.)

Haec jam vero omnia et fuere

multis ante seculis prenuntiata, quam eve-
nerint; et sic ut predicta fuerant contigere:
quę signa sunt Profetiae, vel vaticinationis
certissima. Principio enim judeorum Chris-
tiani nominis hostium traditio est multis
ante Christum seculis, profetia illas esse
conscriptas: profetarumque ultimum Ma-
lachiam quadringentis fere annis, et quin-
quaginta ante eus, quem Christiani Me-
ssiam credunt, ortum vaticinatum. Quo
quidem argumento confutat Ethnicos -
Augustinus. (in Psalm. 56) Ilia prete-
rea versione, vel exscriptione, quę sep-
tuaginta appellatur interpretum eadem
quidem ipsa de Christo, Ecclesiaque ipsius
oracula continentur. Hanc autem mul-
tis ante Jesum annis, vel etiam seculis
factam, judeorum Ethnicorum Christi-
anorumq. traditione concluditur. At
"

tiquiores igitur Hebreos fuisse codices opor-
tebat, quos vel septuaginta viri illi in
Grecum ex Hebraico sermone vertissent,
vel quisquis versionis ejusmodi auctor
extiterit. Quid, quod, nisi ea, quam po-
suimus, et credimus esset profetiarum
antiquitas allatarum; Christum et Apos-
tolos ipsas judeis identidem inculcantes,
hi mendacii accusarent, et convicissent?
At id tantum a Judeis abfuit, ut eas sem-
per verissimas habuerint, et annoverint.

Restat, ut ea quae prenuntiata
fuisse confecimus evenisse, re vera sic
predita fuerant, ostendamus. Id autem
quivis sola Veteris e Novo cum faedere
instituta comparatione, perspiciet. Quid-
quid enim de Christo ipsiusq. Eclesia
Novum continet testamentum, sic cum
Veteris predictionibus quadrant ut dubi-

tare certe valeat nemo, quin quae Novum facta testatur, ea prorsus sint ipsa, quae Vetus prenuntiat eventura. Collationem ego istam ne longior, quam par est, naturalis nostrae evadat Theologia pretereo: sed eam Optraectius: (l. de locis dup. sub init.) instituit pulcherrimé legitote

At enim hanc utriusq. Testamenti convenientiam Deista concedens, Evangeliorum tamen librorum historiam mentitam vociferatur, et falsam. Insciciam hominum vel amentiam potius singularem! Videris vero rationem alloquor Deistarum confictione illa iis quidem vitam degentibus, coram quibus evenisse narratur, an vita jam functis? Esse autem neutrum potest. Non ergo conficta. Vera igitur Profetiae librorum Divinitas. Age viventibus ficta esse non potuit, quin fictio statim delecta fuisset, et falsitas. Res enim historia illa

complectitur maximas admirabiles, non alias quidem, aut clanculum; sed tunc et in omnium occulis factas ad Judeos preterea, ad Ethnicos, et Christianos, nobiles et innobiles, sacros, civilesq. Magistratus, ad omnes tandem homines pertinentes: quidem se non vidisse illi dubio procul testati essent mentitos q. historiae illius auctores, omnes illico conclamassent. Neutiquam scilicet eum hominem extitisse, qui Judeam peragrans, Evangelium docuisset: qui caecis visum, surdis auditum, linguam mutis, claudis gressum, vitam mortuis reddidisset. Quem summi Judeorum Pontifices, quem sacerdotum Principes quem Scribae, Pharisaeique, et seniores, quem populus omnis denique Judeorum post tot edita, cum beneficia, tum miracula, morte damnatum. Poncio Pilato, judice Presidi in crucem agendum tradidissent. Talem autem hominem se ita vexare qui tandem, quaeso,

per totum terrarum orbem disseminari, natio ipsa viveret judeorum? Ac horum nemo fuit unquam, quin historiam acceperit Evangelicam: tantum id ipsorum multi conati sunt. Populis persuadere, Christum, cum deceptor fuerit, et Magus, juste in Crucem esse sublatum. Quæ cum ita sint, non tunc quidem Evangelica historia, cum illi vivexent homines, quos diximus, ficta est. De Apostolorum actis pariter disseretis, ut de Evangeliis disseruimus.

At enim. illis fato defunctis, historica Evangelica commenta. Preclara sane, si superis placet, argumentatio! Quid enim, ut verbis utar Ciceronianis, stultius, quam objecere adversario, quod ille si verbo negaret, longius progredi non possit, qui objecerit. (in Philip) Fieri certe non potuit, quod factum objicit satis profecto crasse et indocte Deista. Quid? quandocumque post-

eorum morte, cum ipsorum historia conficta illa fuisset, atque vulgata; omnis nonne terrarum orbis angulus reclamasset? Judei nonne omnes ac Ethnici, tot, tantorum, tamque mirabilium, et ad semetipsos pertinentium historiam eventuum, nullis antecedentibus monumentis annalium, falsitati condemnandam putassent, et condemnassent? At nullus hactenus Judeus vixit Scriptor, aut Ethnicus, qui historiam in dubitationem abduceret. Si ergo, ut patet, mentita non est Novi narratio Testamenti: Veteris auctores vaticinatos esse relinquitur. Est autem, ut nemo nescit, solius Divinitatis vaticinatio. Divini ergo antiqui faederis codices. Mitto sexcentas Christi vaticinationes, ejusdem, et apostolorum miracula luculenta, et innumerabilia relinquo: vetor enim brevibus Academici temporis intervallis: quamquam sic illa insignita, et nota

vunt omnia, ut nihil in ipsis attineat im-
morari.

Illa profecto Novi divinitatem, Tes-
tamenti ut cernitis testificantur. Propterea
Christus ipse Dominus judeos alloquens suę Divi-
nitatis incredulos; si non facio, inquiebat, ope-
ra Patris mei, nolite credere mihi. Si autem
facio; etsi mihi non vultis, operibus credite,
ut cognoscatis, et credatis, quia pater in me
est, et ego in Patre (Joan. 10. W. 37. 38) Nihil
de doctrinae santitate paritate et sublimi-
tate dicam: nihil illa de vi ipsius modis om-
nibus admirabili, et plane divina, qua tot,
ac tantas Ethnicorum nationes celerrima
penetravit: quâ Reges sibi, Imperatoresque
potentissimos subjecit, ac superbissimos, licet
ipsorum Religioni, licet moribus, et vitae
contrariae. Nihil de robore, et constantia
durissimis in cruciatibus incredibili, non
quorumvis tantum hominum, puellarum

ac puerorum; verum etiam Philosophorum inter Ethnicos doctissimorum, et valde nobilium, qui ut hancce nostram Religionem deffenderent, vitam inter atrocia tormentorum genera profundere. Huc illud accedit antiqui Divinitatem foederis ex Novo plane prorsus, ac dilucide confirmari. Ipsius namque Novi divinitatem Christi, ut docui, vaticinia, omnia scilicet prorsus impleta, et miracula in suae argumentum doctrinae divinitatis facta testantur. Jam Veteris codices Testamenti divini haventur in Novo

Vetus igitur testamentum plane divinum.

Vtriusq. ergo foederis doctrina librorum,
Deo revelante, conscripta est. Ve-
ra igitur penitus, et Divina. Hui-
cce autem Religio innititur
Christianorum. Hec igitur
profecto vera, et divinitus
revelata.

Caput Nonum,

Quo Deistarum argumenta precipua exponuntur, ac diluuntur.

Age vero firmissimis, quę hactenus attulimus argumentis, qui seci objiciant Deistę consideratę. In Vetus igitur Testamentum hęc evomunt, non esse persuadeant: Deo scilicet indigna ibi plurima reperiri; vero absimilia, imo falsa nonnulla; tum multa inter se met ipsa pugnantia: quam obrem scripta, quę vetus dicimus Thestamentum longe a Divinitate, et revelatione distare.

Principio autem Deum, narrat Moises, sex diebus Mundi machinam fabricatum, die autem septimo requievisse, quae Deo cum et sit ipse Omnipotens, et quidquid velit facta sola sua efficiat voluntate

plane, quidem indigna sunt. Quæ namque voluntate fiunt omnipotenti, ea et in puncto temporis efficiuntur, nec molestiam, aut lassitudinem afferunt efficienti, Deo præsertim, cujus nescit fines omnes atque terminos efficientia. Deinde suorum Deum Operum præstantiam admiratum: quod ejus quidem est, in quem cadere possit inscitia. Ipsum præterea fecisse hominem poenituisse: quod ab eo qui prorsus est immutabilis, longe abest. Angelos quoq. ex faeminis liberos suscepisse; quod cum mentium natura repugnat. Deum etiam perinde quasi esset ille corporeus, animalium sacrificiis delectari atq. combustorum odorem vitulorum percipere. Omnes insuper codices Penthatheuchi Deum de Coelo descendere, irasci, et placari, idque levibus certe de caussis, humanis præditum membris

et affectibus docent, cum et immensus ille sit qui nullam in partem descendere possit, et immutabilis, et omnis expers corporeae magnitudinis, et figurae. Quid, quod nec vitae alterius aeternae, nec animorum immortalitatis quidpiam redolent; et sententiis scatent per humilibus, et plebeis? Haec autem omnia nemo unus diffiteatur, quin sint Deitatis indigna. A Divinitate igitur à revelatione procul remotus est Pentatheucus, seu primi quinque antiqui faederis libri, scilicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Nec magis divini quidem faederis libri reliqui, quippe cum in Pentatheuco innixi sint omnes. Atque indigna quidem inquiunt hactenus.

Veniamus ad fabulas. Nam nihil est, pergunt, aliud Paradisi narratio, è quo quatuor defflucrent flumina, Phison, Gehon Tigris, Euphrates; cum è nullo haec com-

communi fonte Geografis omnibus consenti-
entibus, enascantur. Ex Adami autem costa,
feminam procreatam; serpentem erecto gra-
vientem corpore fuisse; ipsum Evam allo-
cutum, ac decepisse; homines mille, aut fere
annis vixisse; unam Noemi arcam, nec
ita magnam, tot animalium, et ciborum
genera capere potuisse; Hebreos tandem, post
innumera Dei pro se ipsis conspectu prodi-
gia, statim nulla fere mora vitulum ado-
rasse: quis adduci possit, ut credat? Haec
videntur certe, vel sola, vel maxime. Vt
nihil de generali, et incredibili objiciamus
diluvio, cujus nec Egyptii, ne Chaldei, nec Sinae
minerint, rationes videlicet vetustissimae. Ste-
tisse preterea Solem, nec Ethnicus ullus
narrat ullus narrat historicus, nec fieri
certe potuit, cum medium ille Planetarii
Sistematis immotus obtineat. Neque ex

Adamo natos omnes verosimilius anteceden tibus. Nam esse fingamus, ut ex illo omnes ad unum profecti sint. Aut albus certe fuit Adamus, aut niger. Si primum unde nigrae profectae nationes? sin alterum, underam albae? Fabulis ergo Mosis scripta et Josue quoque, ubi haec leguntur, scatent. Et reliqua igitur Veteris Testamenti, quae superioribus, ut ante diximus innitun-tur. Nullum ergo dignum haberi debet, quod Deus ipse dictaverit.

Accedit, concludunt scriptorum ejusmodi secum ipsis oppositio, et pugna frequens illa quidem, et per insignis. Jam multa-sunt inquiunt, illis in Libris loca inter-semetipsa pugnantia, ut nullius fere volu-minis pagina careat Antilogiis. Quare cum omnia persequi, longum sit; pauca quidem, at praecipua tamen subjiciamus.

Geneseos etenim locus ille, quo Jacob, vidi, inquit, Deum facie ad faciem (c. 32. v. 30) illis prorsus Joannis adversus est locis, ubi Deum, ait, nemo vidit umquam. (in Ev. c. 1. v. 18) et Ep. 1. v. 12) et illi praeterea, quo S. Paulus de Deo loquens quem nullus, inquit, hominum, vidit, sed nec videre potest. (1. ad Tim. c. 6. v. 16)

Adversi praeterea ~~prorsum~~ illi, Exodi unus alter Ezechielis: Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, et quartam generationem eorum qui oderunt me." Haec Exodus cap. 20. v. 5) Illa liber Ezechielis, anima quae peccaverit ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii: justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum (c. 18. 20) Accedit illum Apostoli. Ter-

tamenti arca auream mannę urnam, Aaronis virgam, Testamentiq. tabulas contentas esse dicentis: (ad Hebr. c. 9 v. 4) cum tertio Regum libro (c. 8. v 9) hęc legantur: in arca autem non erat aliud nisi duae tabulae lapidee, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel, cum egrederentur de terra Egipti. Hic enim solas legis tabulas mannę urnam Aaronicam que virgam preter ipsas Testamenti tabulas in arca fuise narratur. Prorsus nempe contraria. Videant igitur revelationis amantes ne Deus haec scripta dictaverit, quę ipso indignas continent plurima, falsa non pauca et inter ipsa denique pugnantia penitus infinita.

Novum etiam Testamentum duobus argumentorum generibus adstruuntur, quorum alia historiam, alia vero dogmata

vel doctrinam attingunt. Josephus itaque ajunt, et Philo judei quidem ambo, et Christo coevi, cum ea quę ad Judeorum historiam respicerent, omnia solertissime inscripsissent: de Jesu tamen illo vestro, de ipsius doctrina de miraculis cruciatibus, occisione, resurrectione nihil penitus meminerunt. Eoque firmius fortius hoc putandum est argumentum, quod multa quidem historia contineat Evangelica, judaica cum historia conjunctiora, quam ut sine insigni hujus dedecore pretermitti potuerint. Si ergo vera illa esset historia quidni eam recensiti memorassent historici; cum et ipso fuisse constet in scribendo diligentissimos, et res ejus historię, quę dicitur Evangelica maxime illę quidem sint gravissimę, portentosę, atque necesariam Judaicis cum rebus societatem habere conamus.

Aut ergo tota ruat criticorum disciplina doctorum; aut Novi narratio Testamenti non est illa quidem historia, sed fabula.

Nec locus is adjiciunt: Josephi magnificus ubi per honorifica Christi fit mentio, cum interpolatus nuper, et intextus scriptis ejus sit, quidpiam prodest. Certe quo tempore, Justinus, quo Tertullianus, quo Origenes, quo ceteri tandem, qui adversus Judeos invecti sunt, scripserunt; cum eorum nullus locum illum invenerit, is sane tunc aberat a Josepho.

Quid jam vero de dogmatibus, inquiunt, adjungamus, quorum partem divinam impetunt bonitatem: alia immota rectae rationis principia convellunt? Nam si Deum quosdam

hominum ad Beatitudinem, rejectis coeteris, destinasse. quod Paulus saepe inculcat, (ad Rom. tot. c 9) Divina cum bonitate et omnium hominum dilectione non pugnat; quidnam, quaesumus, pugnare dicetur? Quid, quod ibi nihil Dei voluntate remota, fieri, ne arboris quidem frontem moveri; sed omnia, nostras etiam cogitationes, et voluntates ab eo ipso esse, docetur, sine quo nihil prorsus exequi valeamus? At si a Dei voluntate proxime omnia nascuntur, et hec est, ut ibidem legitur, immutabilis, Stoicorum fatum quod Divina cum bonitate repugnat.

Sed ratio quoque naturae tota pervertitur, Trinitatis, Incarnationis, Eucaristiae, demum arcanis, quę novum passim personat Testamentum. Quid enim verius hocce principio primaque veritate

reperiatur? Quæ eidem tertio sunt eadem inter se quoque sunt eadem. Certo nihil. At unâ tantum individua trium personarum admissa natura, non labescit modo, sed funditus tollitur. Quid præterea absurdius, aut recta cum ratione pugnantius, quam Christo humanam quidem esse naturam, humanam vero personam abesse: atque Deum cum immensus sit, angustiori eo si quo satis corpore potuisse? Est profecto nihil. At id quidem ipsa est Incarnationis Divinae doctrina. Restat Atanis, ut Christiani nominant sacramentum, quod stare certe non potest, nisi statim duæ illæ Phisicæ concidant veritates. Duas nempe materiæ partes ob id quia obest soliditas penetrari nequire, ac idem posse corpus multa simul distincta loca complere; cum sit

suis quodque terminis definitum. Cabilationes exposuimus Deistarum: nunc eas ex ordine divellamus, ac dis: cerpamus.

Deus igitur, cui subest cum volue: rit posse, (sap. c. 12. 18) quippe cum Omni potens esset, omnia certe, vel simul face: re, vel aliter, pro sue potuit voluntatis arbitrio: at non uno voluit universa sed alia aliis facta et ordinata temporibus: sorte, ut suam ipse in mundi effectione infinitem ostenderet libertatem. Quam quam quid ei, ut non una sed quadam tem poris successione mundum condent, cau: sae fuerit, ipse sciverit; nec eam licet homini vestigare. Quod autem Deum die septimo requievisse ab omni opere quod patraxat (Gen. c. 2. v. 2) doceat Gene sis: non molestiam vel lassitudinem ex opera captam indicat, sed cessationem

operis absolutionem sequutam. Postquam enim perfectus est mundus nova Deus cessavit efficere. Neque vero sua Dominus admiratus est opera, sed ipsorum prestantiam, quę fecerat, operum confirmavit: quod illud innuit Moysis, viditque Deus cuncta, quę fecerat, et erant valde bona (Gen. c. 1. v. 31.) Confirmantis nempe, et aprobantis oratio, non nescientis, et admirantis. Quam scitere igitur, quam et oportune Augustinus vidit, inquit, lucem quam fecit quia bona est; quoniam quod faciendum placebat ut fieret factum placuit, ut maneret. (lib 1. cont adv. leg. et Proph. c. 7)

Quod autem infra (cap. 6. v. 6.) Sacer ipse narrat historias. Deum, quod hominem fecerit potuisse, atque cordis dolore intrinsecus tactum; humano locutus est more brevitq. hominum captui acomodato sed taceam, ego Discipuli, ut sua Augustinus

eloquentia et gravitate respondeat. Poenitet mutare, inquit, certum aliquod, et in aliud transferre non facile solemus, nisi poenitendo; quamquam Divina providentia serena mente intuentibus, appareat cuncta certissimo ordine administrare; accomodatissime tamen ad humilem humanam intelligentiam, ea quae incipiunt esse, neque perseverant, quantum quando perseveratura sperata sunt quasi per poenitentiam Dei dicuntur ablata (lib. 80. qq. - q. 52) Huic etiam ipsi argumento Augustinus in decimo quinto de civitate Dei libro cap. vigesimo quinto, et in secundo diversis de quaestionibus libro ad Simplicianum quaestione secunda respondet. Quod ad connubium attinet Angelorum, nonnulli hic decepti sunt Patres, ut Justinus, Athenagoras, Cyprianus, alii, quod versiones Graecae aliquae non filii Dei, ut vulgata recte habet, sed Angeli Dei, scilicet viciatae, et con-

rupte haberent. Verum locus Genesis (Cap. 6. v. 2) sic se habet: videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Filios ergo Dei Sethi filios, hominum vero filias, filias Caini Mo-ises appellat: quo tota corruit cabilatio

Ad ea nunc venio, quae Deo corporis et affectus, vel animi perturbationes, et commotiones, videntur affingere. Et hic quidem unius esto Augustini responsio sapientissimi. Divinae, ait, Scripturae a terreno, et humano sensu ad divinum, et Caelestem nos erigentes, usque ad ea verba descenderunt, quibus inter se stultissimorum etiam utitur consuetudo. Itaque earum etiam affectionum nomina, quas animus noster patitur, quas longissime a Deo esse sejunctas jam, qui melius sapit, intelligit; non dubitaverunt illi viri per quos locutus est spiritus

Sanctus opportunissime in libris ponere.
Ut verbi gratia quoniam difficilimum est,
ut homo aliquid vindicet sine ira vindic
tam Dei, quę omnino sine perturbatione
fit, iram tamen vocandam judicarunt.
Item quia conjugis castitatem celando,
viri custodire consueverunt; illam Dei
providentiam perquam precipitur, atq.
agitur ne anima corrumpatur, et Deos
alienos sequens, quodam modo meretricatur
Zelum Dei appellarunt. Sic et manum
Dei vim quâ operatur; et pedes Dei,
vim, qua in omnia custodienda, et guber-
nanda pertendit: et aures Dei, vel oculos
Dei, vim, quam omnia percipit, atque
intelligit: et faciem Dei vim, quam se
manisfestat, atq. dignoscitur: et cetera
in hunc modum propterea scilicet quia
nos ad quos sermo fit, et manibus sole-
mus operari, et pedibus incedere, et

quo fert animus, pervenire: et auribus, atque oculis ceterisque sensibus corporis, corporalia percipere et facie innotescere, et si quid aliud ad hanc tamquam regulam pertinet. (lib. 80. qq. q. 52) Nobilissima profecto, et ad quae non respondere, dicam, sed ne hiscere quidem audeat adversarius.

At enim cur altum in Pentatheuco de animorum immortalitate, deque praemiis venturae vitae, ac poenis silentium? Quid ego, ullusve hominum sciverit cur haec Moyses praeterierit? Siluit age vero, concedo: quid tamen? Negabit? Neutiquam. Non ergo desinit opus illud ejus esse divinum. Quid, quod Deus non simul omnia, sed suis quaeque temporibus prout ipsi placuit hominibus patefecit? At sententiae ibi multae et verba plebeya. Ah! tuae, mi Deus,

nerciunt scripturae sacrosanctae mysteria! Sed heu tu perdocte, ac peramans Veritatis, Augustine, quid hic existimas respondendum? Sancte, inquit, scripturæ non temerarios, et superbos accusatores sed diligentes, et pios lectores desiderant. (lib. cont. Adimatum Manicheum.)

Recte pronvus est ne amplius, quod in impios regeras morsus hominum petulantium? etiam. Nam si non uteretur scriptura talibus verbis, non se quodammodo familiarius insinuabit omni generi hominum, quibus vult esse consultum: ut et perterreat superbientes, et excitet negligentes, et exerceat quaerentes, et alat intelligentes. Quod non faceret, si non se prius inclinaret et quodammodo descenderet adjacentes.

lib. 15. de Civit. Dei c. 25) Accedit aureum orationis flumen Chrisostomus fundens. Ea, inquit, quę sacris litteris continentur, sic ab Spiritu Sancto dispensata, temperata que sunt; quo Publicani, Piscatores Tabernaculorum Opifices, Pastores, et Caprarii, Idiotae, illiterati per hos libros salvi fierent: ne quis idiotarum ad hanc dificultatis confugere possit excusationem: ut omnibus facilia conspectu essent ea, quę dicuntur, ut et Opifex et famulus et vidua mulier, et omnium hominum indoctissimus ex audita lectione aliquid lucri utilitatisque reportaret (Homil. 3. de Laz.) Humilia igitur quędam et plana, ut ista concludam; Scripta Dei continent, et sublimia quoque alia multa et arcana: ut et indoctos alliceat, et doctos exerceant. Neque vero

ea ipsa quę per facilia et plana videntur, misteriis vocant plurimis, et sublimibus; quarum aliqua certe non omnia assidua, diligentiq.ᵉ meditatione noscuntur. Atque decantatę illi à Deistis iniquitate, satis, ut perspicitis factum est. Nunc quas vocant ipsi fabulas, veritates esse ostendamus.

Nam primum, cum ob terrę faciem multis in locis diluvii vehementia disruptam pleroumq.ᵉ fontes fluminum sint corrupti, dispersi translati extirpatae item arbores plurime, vel absorte, qui deinceps aut fontem communem illum, unde quatuor descenderent flumina, supra exposita aut terrestrem quererent Paradisum, nae is mihi decipere videretur. Quod de Adae costa objiciunt homines id me pudet refellere; cum Deus quidq.ᵈ vellit, quoque ipsi placeat modo, aut ē nihilo queat, ı

aut ex ante a se facta materie progignere.
Sed hic videat, quaeso Deista (qui cum simili-
ter nun ego, ut alias cum Juliano eadem
in causa Cyrillus agebat Alexandrinus)
videat, inquam, sapientem, ac industriæ Mu-
lierem productam, quod ad Dei voluntatem
spectat. Nam quamvis Deus innovare
aliquid potuisset, et rursus de terra pulve-
rem, quo ipsam sic ut Adamus ante fin-
xerat conformaret; sed neutiquam fecit;
sed vix affectum erga eum inserere volens
ejus quandam particulam, relictis caeteris
abstulit, illamque numeris absolutam omni-
bus procreavit. (Contra Julian. lib. 3. in res-
ponsione ad primum Juliani arg.)

Neque vero serpentem erecto gressu
corpore Moyses usquiam docet; et Demo-
nem belluâ usum illâ, ut eam aloqueren-
tur, et falleret, non vi locutam propia

belluam intelligimus. Quid autem de Patriarcharum vitae diuturnitate subjiciam? cum Berosus, cum Manetho, cum Hyeronimus, cum Haeisteus, Hellanicus, alii tandem, Ethnici Scriptores plurimi Chaldei, Egyptii, Phenicii, Greci auctore Joseph lib. I. antiq. cap. 4) primos homines ad mille vixisse annos antiquâ, constantique traditione ducti conscripserint? Haec vero, ut existimat per apposite Genuensis (elem. Methaph. p. 2. c. 16) Patriar-
„ charum longevitas pepetenda est partim
„ ex aequabili coeli, ac primeve telluris-
„ temperie, partim ex victu simpliciori,
„ partim ex corporis compage robustio-
„ re, partim etiam ex peculiari Dei
„ providentia.

At vero tot animalium, tot et ciborum capax Noemi arca esse non

potius? falso

Diluvium omnes fere Ethnicę historiae commemorant. Ut qui primoribus saltem labris historias attigere, cognoscunt. Illius namq. Berosus et Abidenus, Chaldaycarum ille, hic Egyptiarum rerum hystoricus, meminerunt. Nicolaus etiam Damacenus, Plutarcus, Lucianus, alii bene multi, quos, cuique notum est, diluvium memorasse. Quo circa recte Lactantius factum, ait, esse diluvium ad perdendam tollendamqué ex orbe maliciam constat inter omnes; id enim et Philosofi et Poetae, scriptoresq. rerum antiquarum loquuntur, in eoque maxime cum profetarum sermone consentiunt (lib. 2 de divin. inst. c. 10) Sequitur Lunae, atque Solis statio, quę precipiente ut ita dicam Josue, facta est (Jos. c. 16. 20. 12. et 13) Quid ergo ad haec Deista habeat accepistis.

Nullam exortus ejusmodi meminisse historiam Ethnicorum. Concedo: sed quænam Gentilis historia ea, quibus Josue scripsit tempora atingit? prorsus nulla. Quid ergo si omnes hic sileant, mirum? At medium Planetarii nostri systematis Solem immotum tenentem, circumit tellus. Hypothesis haec est tantum non dogma ullum non veritas Philosofica.

Sed quid de Adami posteritate dicamus? Nihil certe risiu dignius albedinis nationum, et nigredinis argumento. Alia huic alii respondent. Sunt enim qui nigredinis causam Afrorum climatis ardorem existiment Africani: quo factum sit, ut Afrorum progenies atro tincta colore nascatur. Quidam vero, ut puto, similius, ad corruptam mulieris phantasiam alicujus veterisq confugiunt, unde atri

profecti sint populi: non alias scilicet, atque oves Jacobi ex virgarum aspectu, varios exhibentium colores foetus concipiebant, edebantque maculosos. (Gen. c. 31 v. 16..11) Nec quidquam hic preter naturae leges occurrit, nisi quod a Deo artificium Jacobus totum acceperit. Tum alii veteres quidem illi ex Cham cujus Deus filium Chanaam maledixit (Gen. c. 9 v 15) Ethnicorum nigredinem, divina id efficiente maledictione profectam existimant. Quenam rei hujus sit causa me quidem fateor plane ignorare; sed multas tamen natura, que magna ex parte nos latet, ejus rei, de qua disseruimus, causas complecti potuit. Nihil ergo adversus Scripturas hinc sequitur, quod rerum, quas narrat, multarum rationes nesciamus, et causas.

Age nunc loca ut Deistę somniant in Scripturis adversa inter se et opposita; amico esse conjuncta faedere, demonstremus. Quod ergo ad Dei visionem spectat nullo prorsus negotio cum Joanne, et Apostolo Jacobus conciliat.ʳ Nam enim Deum ipsum Jacobus sed Angelum Deum referentem Opt. Max. est intuitus: cui neu Paulus adversus est, neu Joannes, qui de Deo prout in se ipse est loquuntur, sic visum illum à nemine pronuntiantes. Exodus sequitur, et Ezequiel quorum consensio pari ostenditur facilitate. Ibi namque divinis de judiciis ad homines in Adamo lapsos pertinentibus, sermo est: hic de humanis, vel divinis quidem, sed non ad originale peccatum relatis. Paulus ad Hebreos, et textus Regum. quorum con

venientia non minus sane perspicua. Tria enim quæ Apostolus in arca fuisse conscribit, fuere ibi quidem omnia collocata; at intus solum tabulae, quod sibi Regum textus vult, foris autem urnam, ex arcae latere dependentes. Quod quod forte post Salomonis tempora Sacerdotes ut virga, et manna secretius essent, ac tutius custodita, intus in arca cum tabulis posita voluerunt.

Et veteris quidem Testamenti Divinitatem, ac revelationem de Deista nunc egregie triumfantem aspeximus: consimile Novi triumfum expectamus.

Nam ut ad infirmissimum Josephi, et Philonis silentii argumentum agrediar; quidnam hic Criticus doceat prorsus omnis Deista nobis —

Quoniam autem crepat criticam

ipse, respondeat. Nempe haec omnium
"praeceptio est, atque regula Criticorum: quae
"à pluximis, et coevis narratur historia
"hanc non propterea in dubitationem vo-
"candam, quod ab aliquibus coevis etiam
"taceatur. Cum his causae cur tacerent
"esse pluximae potuissent." At vero Josephus
et Philo siluerit coevus uterque et dili-
gens auctor? Siluere utique (nam
liberaliter cum his agere adversariis
volumus) Siluere. Quid mirum? At
quî tandem silere cum Judei essent am-
bo potuerunt? propterea scilicet quod
Judeus uterque fuit neuter quidquam
de iniquissima Christi, et Apostolorum
nece, unde maximum in Judeos omnes
dedecus redundatum iri cernebant, me-
morandum putavit. Nil ergo horum
abest silentium, quamvis tacuisse, quod

falsum est concedamus. Quamquam quid duorum obesse poterat taciturnitas, cum multorum coevorum, et proximorum insignia luculentaq[ue] testimonia habeamus auctorum? Christi namque Domini meminit Suetonius, (in Claud. c. 21) Tacitus (anal. lib. 15. c. 44) et junior Plinius. Meminere Lucianus, Celsus, Porfirius, ac Numenius. Nec Trajanus tacuit, nec Antoninus Pius, nec Maximus philosofus, nec alii a Justino ab Origine Tertuliano, Eusebio Nacianzeno, Cyrillo, caeteris demum vetustis gravissimisqué scriptoribus memorati.

Quid, quod nec Silarius ipse Josephus, modo a Critica, quam Deista urget stare velimus, tacuit Christum. Hic namque decimo octavo antiquitatum libro capite quarto, de illo conscripsit:

"eo tempore fuit Jesus, vir sapiens, si
"tamen virum eum fas est dicere. Erat
"enim mirabilium operum patrator, et doctor
"eorum qui libenter vera suscipiunt; plurimas
"mas que tam de Judeis quam de gentibus
"sectatores habuit. Christus hic erat, quem
"accusatum à nostre gentis principibus, Pila-
"tus cum addixisset cruci; nihilhominus
"non destiterunt eum diligere, qui ab initio
"cœperant. Apparuit enim eis tertia die
"vivus, ita ut divinitus de eo vates hoc, et
"alia multa miranda predixerunt: et usq.
"in hodiernum diem Christianorum genus
"ab hoc denominatum, non defecit. Haec au-
"tem interpolata Josephi scriptis non esse,
tum ex perpetua et constanti ipsius Jose-
phi codicum fere omnium consentione
conficitur, tum ex Eusebi; (lib. 4 demons-
trationis Evangelice, et lib. 1° de histor.

Eccles. c. 12.) Hieronimi. (lib. de Scrip. Ec-
cles.) Isodori etiam Pelusiotae. (lib. 4. Epist.
Epist. 125) Suidae (in Lexico) aliorum au-
ctoritate multorum. Satis ad historica:
nunc de dogmatibus doceamus.

Vult Deus igitur quae sua est
bonitas omnes prorsus homines salvos
fieri, et ad agnitionem veritatis venire
(1. ad Tim. c. 2. v. 4.) quod et docuit Paulus,
et aliae saepius divinae personant Scrip-
turae: quamobrem factus homo dedit
Redemptionem semetipsum pro omni-
bus (ibid v. 6.) Id etiam ratione ipsa
duce perspicitur, Deum nempe velle
summam cunctis felicitatem. Bonus
est enim, perbonus, benignissimus, qui
nec malum quidpiam facere, nec velle
cuipiam potest: sua propterea omnibus
beneficia exhibet, et auxilia. At cum

his uti possint pro libertate homines, vel abuti: alios ad gloriam clementissimus, alios justissimus deputat ad gehennam.

Hic autem est nostro ut more loquamur, Divinae ordo praedestinationis. Principio (1) omnes in aeternitate Deus homines futuros intelligit. (2) Eos, ut opus suum, ut filios amat omnes. (3) Propterea vult omnibus beatitudinem. (4) Cumque suapte natura beatitudinem illos adipisci non posse cognoscat; suas illis leges et gratias conferri constituit. (5) Vult illos praeterea libertate ornatos (6) Homines tandem ipsos efficit, quibus et leges intimat, et praebet auxilia. (7) Partim leges conspicit violare. (8) Hos suppliciis addictos vult, et ignibus sempiternis. (9) Alios ip-

sis

vis obsequi legibus. (10) Quos ad gaudia destinat nullo prorsus fine mansura. Et haec quidem quę in Deo nec distincta sunt, et aeterna; ut dilucidius intelligamur, ratione perbrevi nostra homines disjungimus. Constat ergo Deum et beatos velle omnes esse, et quosdam nihilominus pan-sancte velle damnatos.

Nihil autem quę Stoici de fato afferunt, obsunt. Deus quidem omnia et intelligit, et voluntate exequitur immutabili; sed suam et scientiam, et voluntatem rerum naturis acommodat, sic, ut immote quidem, et moralibus liberas ducat legibus, et trahat non liberas necessariis, ut saepe alias exposuimus.

Ad fidei denique mysteria veniamus, quae rectae principia rationis non, ut Deista vult, perimunt, sed ex

cedunt. Tres igitur Divinae Personae
una sunt tantum substantia, essentia
ve, aut natura Divina. At enim quae
cum uno sunt idem inter se idem
quoq. esse, sua quisque ratione pers-
picue docente cognoscit: axioma nam
omnium illud est hominum. Axio-
ma utique, omniumq. hominum con-
sentione firmatum: id ego Deistis as-
sentior. Sed a quibus rogo, naturaene
rerum, an Dei ideis proficiscitur? na-
turae certo ideis continetur. Non-
ergo extra naturae fines axioma
progreditur? Non progreditur quidem
certe. Nec divinam igitur naturam
attingit? profecto. Nihil ergo ad
Divinitatem, vel tuendam facit, vel
obugnandam. Veritas igitur axioma-
tis dogmatis veritate non laeditur —

quidem illa, sed vincitur. Neque vero tres Dei personas ex nostris factarum ideis personarum estimandas putetis, cum his ab ideis longe personae illae, imo infinité sint dissitae. Quo circa quam axioma illud quam ratio naturae oppugna, et interimit Trinitatem, ea Divinarum non est personarum trinitas, sed factarum. Hanc enim nostris metimur ideis, et ratione, quas, illa cum infinita sit et, ut loqui minus latine solemus, incomprehensibilis, vincit prorsus et superat. Quibus Trinitatis argumentum satis est factum.

Proximum autem illud est, quo Incarnationis oppugnant. Assummi nempe humanam a Deo naturam, humana sine persona non

posse. Cum persona sit nihil aliud, quam individuum ratione preditum, quod humanae cujusvis naturae proprium est. Quavi vero ex mente et Corpore, quae duae, eaeque genere discrepantes substantiae sunt, non una tantum existeret persona sed multiplex. Sint Deus utiquè humanaque mens, et corpus ut re ipsa sunt, diversae omnino substantiae: at quemadmodum mentem corpori certè conjungi non pugnat, sic nec Deum menti, et Corpori, hoc est, humanę naturae. Vtque humana ex mente ac Corpore unam cernimus omnino personam fieri, unum videlicet hominem; sic ex Deo, humanaquè natura unum tantum credimus Christum existere.

Vna itaque ibi duabus in substantiis, iisque genere discrepantibus, est

persona: hic una etiam persona, scilicet Verbi, tribus in substantiis, tametsi diversis nempe Divinitate, humana mente et corpore reperitur. Neque enim substantia omnis naturarae rationem habens, persona est; sed ea, quę sui est juris, quę nobiliori alteri, tamquam suppositio communicata non sit, quę à re omni alia diversa, et discretas in seipsa subsistat. Christi autem, factoris nostri, et servatoris humanitas non sui est juris, nec sua, sed Verbi Divini, à quo assumpta est, et in quo, illi ipsi Phisicę unita, et conjuncta, subsistit. Preclarę suo More Augustinus. Sicut non augetur numerus personarum, cum accedit caro animę ut sit unus homo; sic non augetur numerus personarum, cum accedit homo verbo, ut sit unus Christus. Haec in Epistola centesima vige-

sima illius scripta sunt: illa vero tractatu in Joannem decimo nono. Filius hominis habet animam, habet corpus: Filius Dei, quod est verbum Dei, habet hominem tanquam anima Corpus. Sicut anima habens Corpus, non facit duas personas sed unum hominem; sic Verbum habens hominem, non facit duas personas, sed unum Christum. Quid est homo? anima rationalis habens corpus; quid est Christus? Verbum Dei, habens hominem.

Hic autem rem nobis obiter patefaciam, quę abstrusis, et prorsus arcanis Trinitatis, et Incarnationis Divinae misteriis, humano scilicet, explicandis necessario nedum utilis est: subsistentię nempe nomine id intelligi, quo substantia terminatur aliqua, vel completur:

seu quo in se natura, substantia re ipsa sistit; nec alterius progresa alteri accedit, quamobrem instar figurae subsistentiam esse putate. Ut enim terminatur figura corpus et circumscribitur, sic natura substantiare terminatur, completurque subsistentia: utq. id figura efficit corporis, ut hujus non ulterius progrediatur extensio; si subsistentia, ut suis natura substantiare terminis contenta, consistit. Quare à sistendo in se, quasi in semetipso sistentiam diceremus, subsistentia est appelata. Id autem, quod subsistit, suppositum dicitur; aut persona si ratione sit preditum, ut primo Metaphisicae libro docuisse me memineritis.

Sit ne rerum subsistentia factarum quidpiam, ut dicitur, positivum

naturae additum; an mera communicationis naturae negatio, magna inter Methaphisicos quaestio est: quorum plurimos quidem, eos perdoctos viros utrinque stantes aspicio; at illis assentior quibus subsistentiae ratio vel personae nihil positivi distinctique naturae videtur; sed personarum ipsam esse naturam contendunt, nulli communicatam alteri vel addictam; sed se ipsam tenentem, atque regentem, suo agentem jure, seorsumq. ab alio in se sola sistentem: quod nihil novae, ut ajunt, entitatis, â natura re ipsa distinctae complectitur. Quid enim naturae, similiter sistenti, ut subsistat, atque adeo ut suppositum, persona reverâ sit, dicique debeat, deficiat, nescio. Quocirca horum opinio Philosoforum est, nihil Christi humanitati deesse aliud

quam propriam terminationem; cum non ipsa in se, sed in Verbo, cui est arctissime conjuncta, subsistat. Id circo enim putant, humanam non esse Christo personam, quod et si tota in eo sit humana natura, at sola non est, sed alteri, scilicet Dei Verbo annixa. Verum plura forte, quam opporteret, de Incarnationis arcano balbutiendo dictaverim: quonam autem meo consilio, quanam mente cognoscitis.

Restat de Eucharistia cui duo Deistas nobis objicere meminerimus, eos naturae ratione, quam infinita Dei potentia infinite supra repetita, penetrationem scilicet corporum; quae nisi humanae mentis brevitatem, nihil includunt aliud, ut cernitis. At multo

plura Deum, quam ea, quę a nobis intelliguntur, efficere posse ratio naturae ipsa convincit. Deistas igitur impudentissimos pudeat, sua se perbrevi, et caeca ratione interminatam Divinitatis naturam velle metiri; quodque sic de eo hactenus cogitaverint, a quo, quidquid sunt, habentque, indigni prorsus accepere, poeniteat.

Methaphysicae liber tertius
Demonologia, vel de Geniis.

Mentem illam, discipuli, quam Deum vocamus, exsistere, esseque infinitam, immutabilem, sempiternam, optimam, beatissimam, omnium effectricem, servatricem, ac moderatricem satis confectum puto hoc libro, quem Theologia inscriptum, nudius quartus, aut quintus, quamvis non perfecerimus, certe absolvimus. Quapropter id nunc ordo librorum, quem a primo constituimus, postullat, ut de illis naturis, quae reliquis secundum Deum praestabiliores sunt, doceamus. Has autem δαίμονας, scilicet, scientes, Latini Penates, Lares ve, aut Genios appellarunt. At cum illarum quaedam, amicae, et idcirco probae, ac sanctae sint, aeque salute nostra, et felicitate, ut dicam ita, soliciti, partim inimicae Divinitati, inquam, et in humanum genus omne ipsarum odium est incredibile: has Demones, vel Demonia; illas vero Angelos, quod e Greco recte convertitur nuncius, aut legatus, Ecclesiasticorum rerum scriptores, ut alias ab aliis distinguerent, nominare consueverunt. Atque Angeli nomen, quemadmodum recte observatum est ab Augustino, (in Psal. 103) officii quidem est, naturae neutiquam: sic enim naturae illae ipsae sunt dictae, quod iis homines a Deo legantur, hujus illis placita, et libita nuntiaturae. Ab ipsarum domi-

que actione perceleri Græce πνευματα, latine spiritus dici solent. Rem enim quamlibet actuosam, nec visui præ subtilitate subjectam, cujusmodi ventus est, Hebræi, Græci, et Latini spiritum appellabant.

Atque cum per multa ea sint, quae his de rebus scripta reperim; omnia tamen, per paucis tantum exceptis, incerta sunt, et argumentis conjecturae innixis, sufulta: quo circa hunc locum brevi admodum oratione concludam quae et certa nihilominus, et probabilia, et dubia et improbabilia, et falsa, distincta nimirum et notata omnia, complectatur. Jam quae de probis, improbisque Angelis quaeri solent, ea ad quinque summa capita redigi posse arbitror: naturam videlicet, affectiones, meritum, ordines, et officia, quae totidem propterea erunt libelli hujus, vel orationis articuli.

De natura autem ipsorum multae exoriuntur quaestiunculae: sint, necne sint, illae naturae; quando nam factae; puraene sint mentes, an corpore pertenui aliquo utantur; num mortalitati subjectae sint, an inmortalitatis participes; quoque modo, natura ne an gratia illis contigerit, haec immortalitatis immunitas; quae tandem ipsorum inter se differentia reperiatur. Age vero Angelos cum bonos esse, tum malos; res scilicet sub sensus non cadentes, intelligentiae, et voluntatis; ab humanis que mentibus discrepantes, non sacra tantum scrip

tura universa testatur; verum etiam Patres Ecclesiae omnes, ac Theologi cum Christiani, tum Ethnici docuere; estque omnibus saeculorum omnium gentibus, et nationibus persuasissimum; quo ratio accedit satis quidem illa probabilis, et effectus innumeri, quorum admirabilitas naturas exigit hominibus potentiores.

Quod ad divinas attinet scripturas, nullus fere liber ipsarum, nullum pariter libri caput, nullus ullius capitis versus est, quin probos vel improbos esse angelos personet. Ac de illis quidem Genesis saepius memorat, (c.16. v.7.9.=c.19.v.1.15.=c.22.v.17.) similiter exodus (14.19.=23.20.23) Numen, (20.16.=22.22.) Judicum liber, (2.14.=6.11.) quatuor Regum (1c.29.9.=II 14.17.=III 13.18.IV.1.3.15.) ambo παραλειπομενον, (I.21.12.II,32.21.) Tobias, (c.3.25.) Judith, (13.20) Esther, (15.16) Job, (4.18.) Psalterium, (12.8.6.= et 33.8.=77.25.) Eclesiastes (5.5.) Sapientia (16.20.) Eclesiasticus; (48.24.) Isaias (18.2.) Baruch (6.6.) Daniel (3.v.49.58.) Oseae, (12.3.4) Zacharias (1.9.11.12.) Malachias (2.7.= 3.1.) primus, et alter Macabeorum, (1.7.41.) (16.6.) Matheus etiam (1.20.) Marcus (1.2.) Lucas (1.11.) et Joannes: (1.51.=5.4.) Apostolorum actus, (5.19.=6.15.=7.30.) Paulus ad Romanos (8.38.) Corinthios, (I.4.9. II. 11.14.) Galatas, (1.8.) Colosenses (2.18.) Timotheum (1.3.16.) ad Hebreos (1.v.4.5.6.7.13.) Petrus demum (1.1.12.) et Apocalipsis, (1.1.20.) Dema-

his praeterea Angelis, vel daemonibus Leviticus meminit, (17.7.) et Deu teronomium: (32.17.) Psalterium insuper (Ps. 77.25.=90.6.=95.5.) Parabolae vel Proverbia (17.11.) Isaias (34.14.) Matheus, (25.41.) Paulus, (I.3.22.2.=II.24.) Petrus (I. Cor.6.3.1.=II.12.7.) Joannis cum Evangelium, tum liber etiam Apocaliseos (Ev. 7.20. Apoc. 9.10. et 9.v.11.1.15) Hactenus scripta recensui, a sanctis, et Vatibus, et Apostolis Deo ipso dictante, notata, quae integra ferme, ut cernitis, mihi fuissent scribenda, si quae de utraque Angelorum classe ibi reperiuntur, ea in medium proferre omnia voluissem. Quo per mihi mirum visum est, esse potuisse, qui, cum ejusmodi scripta reciperent, aut Angelos e medio tollerent, ut Luca teste beatissimo (Act.23.8.) Sadducaei; aut ex veteri testamento illos existere minime haberi contenderent, ut Bekerus, (in mundo fascinato.) et Hobbesius. (in Leviathane. cap. 34).

Nunc esset ad Patres, Christianosque theologos deveniendum, nisi et Phylosophum me agere cogitarem, et vobis gravem ac injucundam omnium recentiorem futuram praenoscerem. Unum illud accipite, omnes semper hac in re concordissimos extitisse. Esse, inquit Augustinus, Angelos novimus ex fide, et multis apparuisse scriptum legimus, et tenemus; nec inde dubitare fas nobis est. (in Psal. 103.). Quapropter recte quarta Lateranensia Generalia Comitia. Deum

ab initio temporis utramque de nihilo creaturam condisse; spiritualem et corpoream. Angelicam, et Mundanam, deffinierere. (c. firmiter de sum. Trinit.) Nec â Christiana Ethnica dissidet theologia. Angelos enim agnovit Hesiodus, scriptorum omnium vetustissimus Paganorum. (lib. 1. oper. et Dier.) Laertio, (in thaleto) Plutharco (de Plac. lib. 1. c. 8.) testibus thales. Platonis omnes hujusce doctrinae pleni sunt libri: divinitus autem ille presertim, quem thimaeum ab ipso inscriptum, tullius Latine convertit, et Timaeum quoque sive de universitate inscripsit. Illud est etiam Aristotelicae, Cynicae, stoicae que dogma solemne. Chaldeos praeterea, stanleyus; (part. 13. hist. Phil. 2.) Jamblicus (lib. de Mist. Egipt.) Aegiptios similiter ratos, ostendit. Ratum item illud est dogma de Angelis Asiaticis, Africanis, Americanis: ratum omnibus denique Nationibus, antiquis pariter, ac recentibus, ut Wossius (lib. 1. de Idolatri. Gent. c. 4.) tradidit, et Wandalius. (disp. 1. de oraculis.)

Vna jam vero ratio relicta est, quae stenet in Angelos an ab Angelis, videamus. Stat ergo illa quidem pro ipsis; at non ut certo, sed ut probabiliter eos exsistere, persuadeat. Nam aut in causam, aut in effectus inquirimus Angelorum. Deus est causa quidem illorum; at libera: qui, nulla coactus necessitate, sed tantum quod

sibi perplacuit; ipsos voluit factos. Nihil ergo ex causa pro Angelis necessaria, atque certe concluditur. Neque vero amplius ex effectibus. Ad ea namque, quae tribuuntur Angelis, efficienda; aliarum vis causarum sufficere poterat creatarum; aut certe quidem satis est Deus. Nulla igitur de Angelis demonstratio. Quod si probabilitatem requirimus; ea profecto; et maxima quidem se nobis statim obiam fiat. Res enim oportet esse in rerum universitate Deo, quoad fieri possit, assimiles. Nam bonum quod Deus in rerum effectione, cum sit is optimus, respicit, in earum cum illo similitudine situm est. Quid autem ea re Deo similius, quae intelligentia, et voluntate sit praedita, nec ullam habeat cum materia societatem. Illi vero satis illi factum est similitudini, hominum animis constitutis: qui non in corpore modo sunt; verum etiam intelligentiae atque voluntatis participes. Absit. Ejusmodi mentes non integrae naturae sunt aliqua; sed partes humanae; cum homo, qui natura quaedam est integra, sit e corpore atque mente compositus. Esse igitur naturas quasdam integras oportebat, quales nempe sunt Angeli, quae divinam perfectius, quam humana natura refert, referrent.

Addite huc eorum opera, quos Graece vocant ενεργουμενος mirabilia: maleficia praestigiasque magorum: veterum oracula,

spectra, Larvas, et Lemures, quae sane nisi naturas illas, quas Angelos, aut Daemones dicimus admitamus, explicari vix, ac ne vix quidem, posse reperio. At enim illa superstitiose, atque aniliter dictitantur. Esto: permulta conficta; sed nisi testibus neve paucis, neve mediocribus, sed plurimis et gravissimis, oculatis scilicet, ingenio, scientia, et probitate conspicuis, fidem, quod absurdum plane est, abrogabimus; vera nonnulla. Ast haec infra, cum ad Angelorum officia devenerimus, opportunius nunc quo facti sint tempore, vestigemus.

Qua in re multum a Patribus dissident Patres. Basilius namque (Hom. 1. et 2. in Hexaem.) Gregorius etiam Nazianzenus, (Orat. 38. de nativ.) cujus tanta est, auctore Hyeronymo, ( ) in doctrina auctoritas, ut nullus umquam ejus dictis calumniam inferre praesumserit, sicut nec Athanasii documentis: Damascenus, (lib. 2. de fide c. 3.) Origenes, (lib. 3. Periarch. c. 3. et hom. 4. in Isai.) aliique Graeci quamplurimi: Ambrosius praeterea, (lib. 1. in Hexaem. c. 5.) Hylarius, (lib. 12. de trinit.) Hieronymus (in cap. 1. Epist. ad Tit.) ex latinis ante corporeum mundum factos esse Angelos sentiunt. His autem illud Jobi (c. 38. v. 4. 7.) ubi eras quando ponebam fundamenta terrae? ... cum me

laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei, favere videtur. At Latinorum plerique Patrum, ut Augustinus, (lib. 11. de Civit. Dei. c. 6. 9. 32. et lib. de Gen. ad lit. c. 8.) Gregorius magnus (lib. 32. mor. c. 9.) Beda (tom. 4. Hexam.) Atque Graecorum Epiphanius saltem (haeres. 65) Theodoretus (q. 30. in Gen.) Procopius (praef. in Gen.) Recentiores denique omnes fere theologi, cum mundo ipso corporeo simul conditos putant.

Nec ex his desunt, qui id fidei dogma esse, oppositum vero haereticum arbitrentur, propter Lateranensium Patrum definitionem, quae sic se habet: Deus creator omnium visibilium, et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem et corpoream Angelicam et mundanam. (Joan. sub III. c. 1.) Sed falso et temere ita judicant, doctissimus inquit Petavius (lib. de Ang. c. 15.) simile enim vero non est à Patribus Lateraniensibus opinionem proscriptam esse, quam tot vetusti Patres diserte docuerunt. Enimvero hacce in opinione ejusmodi Patres fuisse verba ipsorum illa significant: ut duo tantum ibi definita voluerunt, nihil Deo exempto, caeterorum esse; sed ipso in tempore facta omnia; nihilque ab Angelis conditum: nempe ut duos Phylosophorum errores damnarent, quo-

rum alter materiam asserebat æternam, alter corporeum mundum ab Angelis factum: reliqua præter propositum et obiter dicta sunt. Quod si rationem hac de re consulere volemus, eam posteriori opinioni patrocinari, reperiamus. Sunt enim Angeli totius rerum universitatis pars quædam: nulla autem pars à suo remota toto perfecta est. Cum ergo Dei absoluta sint opera; Angelos una cum reliquis mundi partibus à se factos esse oportebat. Atque de tempore, in quo facti sunt Angeli, satis arbitror explanatum.

Sunt autem ipsi mentes nullo prorsus corpore, nullave materia circumdatæ; an aliquod habeant tenuissimum ex aere, ætherea ve materia conflatum, Sancti Veteres dubitarunt. Basilii namque (l. de spirit. sanct. 16) Athanasii, (lib. de com. essent. Pat. sub fin.) Atque Augustini (lib. 83 qq. q. 4. et sæpe alias) opinio fuit; eos corpore pertenui aliquo, et subtilissimo non vacare; quemadmodum nec homines crassiore. Verum reliqui Patres, Theologique ab illis dissident, nullum Angelis corpus esse sentientes. Accedit Lateranensium Patrum sententia, proximo à nobis exposita, ex qua id ipsum perspicue habetur. Qua ex re fit, ut temerarius habendus esse is videatur, qui oppositam vellet opinionem tueri, adversus quam, et dilucida sunt Scripturarum oracula (Ps. 103 v. 4., et Epist. ad Heb. c. 1. v. 7. et v. 14. et Luc. 11. 26.) et Patrum fame omnium

sententia, et sensus Theologorum communis. At haeresim vocare non ausim, cum nec illud aliud in Comitiis definitum sit Lateranensibus; et Patres, ut Bernardus inquit, Patrum postremus ea de re ipsa diversa sensisseri. Haec autem ipsius verba Bernardi, Videntur Patres de hujusmodi diversa sentisse; nec perspicuum mihi est, unde alterutrum doceam, et nescire me fateor. (serm. 5. in Cantic.) Alibi etiam si quis, aut sensuerit id inter opinabilia esse ponendum, non contendo. (lib. 5. de consideratione)

Quod autem ad rationem spectat ea adversus materiam cum Angelis facit. Si namque altera rerum classis corporeas omnino complectitur, altera è corpore, ac mente conflatas, ipsa ordinis ratio postulare videtur, ut extrema sit altera, quae nihil contineat, nisi mentes solutas quasdam et liberas, segregatas ab omni concretione corporea.

Ex quibus facile intellectu esse perspicitis et mortalitatis expertes omnes esse Angelos; et id sua ipsos natura habere, quod sint interitus, aut mortis immunes. Concludo autem Maximi Martyris argumento. Dissolvi simplicia non possunt, neque idcirco interire. Sunt autem Angeli simplices spiritus. Immortales ergo sunt natura sua. (in Opusc. de anima) Huc etiam Doctoris Angelici reddit argumentatio (1. part. q. 50. art. 5. in c.) Atque Angelorum immortalitate non semel divina scripta testantur: quibus Patrum est omnium totiusque Ecclesiae addenda consensio. Naturane illis in

solì Dei voluntate vel gratia immunitas à morte conveniat; quaestio est, in qua et Patrum dissensio et Theologorum aliquapiam reperitur. Platoni (in Timeo) quem Ethnici plerique phylosophi sunt secuti, quem Ireneus etiam, (lib. 2. cap. 64.) quem Arnobius, (lib. 2. adver. Gent.) quem Ambrosius. (lib. 3. de fid. c. 2.) quem Alexandrinus praeterea Cyrilus, (in Thesaur. lib. 2.) et Damascenus; (lib. 2. de fide hortodoxa c. 3) natura mortales visi sunt Angeli, sola vero Dei Opt. et Max. voluntate, gratia, beneficio ve mortis immunes. Ejus autem ac eorum, qui sibi assentiuntur, haec una est ratio; quod initium habuit, id posse suapte natura esse desinere. Vazquez pariter opinatur.

Contra Athanasius, (trac. de dif.) Basilius, (in Ps. 44.) Augustinus, (lib. 12. de Civ. c. 5.) Thomas Aquinas, (ubi supra) Plerique tandem recentiores Theologi ex naturali Angelorum intelligentia naturalem quoque ipsorum concludunt simplicitatem, è simplicitate ejusmodi similem interitus, diremptionis, et mortis immunitatem. A Deo sane, qui eos fecit è nihilo, posse quidem ipsos in nihilum redigi, alias minime: quod esse arbitror vero persimile.

Restat de differentia, de qua duae sunt oppositae Theologorum et Phylosophorum sententiae. Alii namque quibus Doctor favet Angelicus (p. 1. q. 50. art. 0) putant, ne duos quidem Angelos e-

se posse specie convenientes, numero discrepantes, atque adeo à singulis singulos specie inter se ipsos necessitate differre. Concludunt autem hocce modo. Quae specie quidem conveniunt at differunt numero, eorum forma certe est eadem, materia vero distincta. At Angeli non sunt de materia et forma conflati. Materia ergo cujus expertes omnino sunt, distincti esse non possunt. Forma igitur distinguuntur. Quae autem forma inter se discrepant, specie differunt. Angelorum ergo singuli specie à singulis distinguuntur.

Sed plerisque Scoto assentientibus subtilissimo, (in 2. dist. 3. q. 7.) haec displicet opinio et ratio phylosophandi. Quamobrem plures ejusdem speciei Angelos esse arbitrantur, sola numerica distintione discretos. Haec namque distintio non in ordinem ad materiam rebus in omnibus sita est; sed in propietatum diversitate sic, ut quas res una habeat affectiones, iisdemque vis altera quamquam aliis praedita consimilibus, careat affectionibus. Sic hominum mentes à corporis societate disjunctae, cum, etsi à materia solutae suas tamen unaquaeque habeat propietates; distinctae sunt numero: non specie autem propterea quod maxima sit atributorum unius, cum alterius atributis similitudo. Atque haec, mea quidem sententia, superioribus probabilior. Quamquam in re de qua certi nihil ratione,

aut revelatione habetur, tacere praestat Theologis, et Phylosophis quam loqui, aut suam saltem ignorantiam, cum id neve Augustinum (in Ench. c. 58.) neve Damascenum (lib. 2 de fide Hort. c. 3.) puduerit, confiteri. Habetis naturam, affectiones Angelorum Accipite.

Haec autem sunt intelligentia, voluntas, Locus, sermocinatio, nomina, et numerus Angelorum. Atque intelligentiae voluntatisque eos esse participes, licet ex ipsorum natura, cum purae sint mentes, cognoscere. At sensiendi et imaginandi vi, quippe quae per corporea exeritur instrumenta, quorum immunis est angelus, vacet ipse, necesse est. Angelica nihilominus vis intelligendi multo, quam humana intelligentia, praestabilior efficacitate, capacitate, rationeque cognoscendi. Angeli namque intelligentia cum sit a sensibus, omnique materia soluta, nunquam agere prohibetur. (Quamquam ego id et humanis mentibus propium judico.) plura etiam longe plura, quam hominis Angelorum attingit intelligentia. Hi enim naturales causas omnes intelligunt; ille paucissimas. Tum Angelus nec idearum nec judiciorum inter ipsa, ut intelligat indiget collatione; sed in subjectis atributa uno mentis obstutu cognoscit, pariter

in principiis conclusiones, in causis effectus, et effectus in causis. Ita factum est, ut Angeli dici soleant intellectuales, humanae vero animae, quod plerumque ratiocinationis indigeant, rationales.

At, licet Angelorum intelligentia per nobilis, et egregia, multo que humana excellentior; fines tamen agnoscit, nec patent Angelis universa. Nam etsi necessario futura suis in causis, quippe quas ipsi perspectus habent, certo cognoscunt; nec illa tamen in se ipsis, ob id quia illis praesentia non sunt; nec futura fortuita, nec libera cum nec in seipsis praesentia illis esse fa sint, et causae fortuitae ac liberae incertae et ambiguae effectus exhibeant suos; nec cordis secreta, nec occultas cum hominis, tum alterius Angeli cogitationes naturaliter sciunt: tametsi hominum cogitata ex signis nonnullis externis, occultisve corporis mutationibus rimari possunt, atque conjicere. Soli namque voluntatis auctori voluntas subjecta est omnis; alteri nulla. Quare quae ex mera voluntate pendebunt, ea uni Deo sunt nota. Neque vero gratiae mysteria, ut pote quae ex sola Domini voluntate pendent, naturae tantum facultate cognoscunt. Alia tamen cognitio est Angelis, ipsos beans, qua et Deum, et res in Dei natura, velut in purissimo quodam speculo videns; eaque gratiae mysteria, quae Deus illi

aperire constituit. Qua autem cognitione res in ipsis vident Angeli eam Theologi post Augustin. (Aug. l. 11. de civ. c. 29.) quod illa alia obscurior sit, qua ipsas in Deo perspiciunt. vespertinam appellant, hanc vero alteram, qui longe sit illustrior, matutinam.

Locus sequitur Angelorum, de quo duo quaeruntur, nunc, et quomodo in loco sint Angeli; et quisnam locus sit habitationis ipsorum. Atque eum esse quidpiam, nec uspiam exsistere, fieri nequeat: in loco esse Angelos, patet. Quoniam autem magnitudine carent, modo quodam individuo, ab eo prorsus diverso, qui proprius est corporum, locum occupant. Nam deffinite in loco sunt Angeli; corpora circumscripte. Ex quo fit, ut loci mutatio congruat Angelis; cum eorum nullus ubique sit, sed suo quisque loco definiatur, quem desserere potest, et alium occupare. De habitatione autem Angelica sic habete, multos inter nos Angelos cum probos versari, tum improbos, illos custodire nostrae causa, hos exercitii, quod est quidem sapientissimum Divinae providentiae aeternam hominum salutem via illa duplici, prima directe, altera, ut ajunt, indirecte procurantis consilium. Reliqui vero proborum in Coelis

existunt; apud inferos improborum. Quapropter donec extremi generalisque judicii dies adveniat, duplex utriusque mentibus locus est, aer nempe hic noster, aut nostra vicinia, et Coeli, vel inferi. Exacto vero judicio, omnes et in Coelis Angelis, et apud inferos Daemones habitabunt. Haec attamen notato te, nec Angelorum apud nos versansium, gloriam minui, nec Daemonum nos cingentium poenam. Haec de loco venio ad locutionem.

Quae aut Angelorum ad homines aut Angelorum aliorum ad alios directa concipitur. Primam ejus ope corporis, membrorum scilicet ejusdem commotione fieri, Theologus, et Phylosophus arbitratur. Alteram communicatione cogitationum: ut nihil sit aliud, at Angelum ad Angelum alloqui, quam unius conceptum mentis ut putat Angelicus, alteri manisfestare (prim. par. q. 107. art. 1. in O) Quamquam difficile intellectu est satis esse, mentem menti suas velle cogitationes communicari, ut haec statim illas intelligat. Quocirca, cum de Angelica sermo instituitur locutione, recte sane is facit, qui eam inter incerta refert, et nobis innota. Dixi de locutione nomina sequuntur.

Tria in sacris libris reperiatis Angelorum nomina bea-
torum, Raphaelis, (Tob. 3. 25.) Micaelis, (Dan. 10. 13.) et Gabrielis
(Dan. 8. 16) et primum quidem nisi in Tobiae historia, ubi saepi-
us redit, nusquam alibi divina scripta ipsa commemorant. De
Micaele autem et Gabriele utrumque meminit testamentum,
illius scilicet Daniel, Judas, (Jud. 9.) et Joannes, (Apoc. 12. 7.) hu-
jus Daniel rursus et Lucas, (c. 8. 19.) quod ore paginae annota-
tum reliquimus. Plura certe Angelorum nomina Enochi li-
ber continet, isque qui quartus Esdrae dicitur, Urielis memi-
nit, et Jeremielis; at canonicus neuter est, sed uterque supposi-
titius, et ἀπόκρυφος. Judei, quos nominant cabalistas, singulis
Patriarchis singulos atribuunt Angelos praeceptores, eorum quo-
que nomina denotales: ut Adamio Razielem, Jui Psielem, Semo,
Abrahamo Zidekielem, Raphaelem Isaaco, Pelielem, Jacobo, Elie
Malatielem: quibus quidem grandibus magnificisque nomi-
nibus suis legum interpretationibus, quorundam veterum traditio-
ne, cavalla ve fultis, quas Christus saepe perstrinxit, auctoritatem
Rabbini comparare nituntur.

De perduelibus autem Angelis, quos Daemo-
nes, et Diabolos Greci vocant, unius duntaxat, princeps videli

cet reliquorum, propia in scripturaris notatur appellatione. Modo namque dictus legitur Asmodeus, (Tob. 3. 8.) modo Satana, (Iob. 1. 6.) modo Belsebeub (Mathei 12. 24.) modo Belial, (2 ad Corint. 6. 15) modo denique Draco. (Apoc. 12. a v. 3.) Liber autem, quem ante memoravit, Enoch, propiis Demoniorum nominibus plenus est. Ibi enim Demonum alius vocatus legitur Semexias, alius Azzazel, alius Samiel, Iriel alius, Exemiel praeterea Babciel, Chkabaliel, alii denique, praeter septem, quos exposui, plurimi.

Incertus tandem numerus Angelorum, quippequem nusquam ineat Scriptura: at ex ipsa tamen magnum eum, fermeque inumerabilem esse constat. Mille namque ipsorum millia, et Deo ministrantia, et decies centena millia, ejus trono asistentia, se Daniel vidisse testatur (7. 10.) Circa agni autem tronum mille millia Ioannes (Apoc. 5. 11.) Dei praeterea currum decem millia comitari, Psaltes Regius docet (Psal. 67. v. 18.) Christus tandem dominus suo sibi à Patre plusquam duodecim Angelorum legiones, scilicet septuaginta duo millia exhiberi mitti re potuisse Petro, ipsum stricto gladio defendenti, manisfestavit. (Mat. 26. v. 53) Quod autem ad Sanctos Eclesiae veteres attinet, eorum multi, videlicet Hylarius, (in Mat. v. 18.) Ambrosius (in Luc

lib. 7. c. 15) Nyssenus praeterea Gregorius, (lib. 11 cont. Eunom.) Hierosolimitanusque Cyrilus (chatechesi 25) ut multo plures hominibus esse Angelos persuadeant; ejus patris familias utuntur parabola, qui, ovibus nonaginta novem in deserto relictis centesimam persecutus est errabundam: cujus quidem vagantis ovis nomine humanum genus, quod à justitia desiderat, intellectum putant; relictarum vero aliarum Angelos, qui Deo fideles permansere. Nec desunt ipsis ex patribus, qui caeli magnitudinem argumentum esse dicant multidinis Angelorum; terrae vero parvitatem hominum paucitatis indicium. Celestes rati incolas terrestribus multo plures esse oportere, cum à Coelo multis terra partibus superetur. Ita sane Hierosolimitanus ipse Cyrilus, (ibid) Dyonicius que ille qui Areopagita Dionisius falso putatus est opinantur. (in lib. de Coelesti Hierarchia).

Et postremus quidem decimo quarto ejusdem libri capite, haec habet: multi sunt beati exercitus supernarum mentium, infirmam, et constrictam excedentes nostrorum materialium numerorum commensurationem. Quem sanctus secutus est Thomas, angelos docens omnem vincere rerum multitudinem sensibilium. Sic autem concludit: quod in rerum effectione Deus intendit, sibique ipsi

proponit, universi perfectio est. Quo igitur perfectiores res exunt, eo ipse plures à Domino factæ sunt. Nam ut corporum ex[ces]sus in magnitudine, sic mentium in multitudine angelica videtur esse ponendus. Ut ergo perfectiora corpora, qualia ni[mi]rum cœlestia sunt, reliqua longe superant magnitudin[e], ita mentes, cujusmodi sunt Angeli, quod multo sint omni cor[po]re perfectiores, multo etiam plures esse corporibus debere, re[l]inquitur. (1.p.q.50.ar.3. in O) Atque hæc de Angelorum affectionibus exponenda putavimus.

Sequitur de merito, cujus nomine quemvis cum Latinis actum, sive rectus sit ille quidem, sive pravus, in[t]elligo, quo alicujus aut demeremur, aut offendimus volunta[t]em: atque adeo qui præmio, vel pœna, laude, aut vituperationi sit dignus. Atque in Angelos omnes cum mentes illi sint, et idcir[co] intelligentiæ et libertatis participes meritum cecidisse, dubium esse non potes. facti sunt ergo, iisque donati et præditi naturæ ac gra[t]iæ subsidiis, quibus beatitudinem mererentur, re quæ ipsa nisi à pravitate defficerent, obtinerent. Jam ipsorum alii, aliis perseve[ra]ntibus deffecerunt. Quo factum est, ut illico alios beatitudo, alios miseria et infelicitas sequeretur, hæc mali suplicium meriti; illi-

præmium boni.

Quodnam autem perduelium esset Angelorum peccatum, res olim fuit maxime controversa, et plena dissentionis inter Theologos. E veteribus namque non pauci, ut Justinus, ut Athenagora, Cyprianus, Lactantius, aliique Phylonem et Josephum secuti, mulierositatem peccatum illud fuisse senserunt. De Angelorum nempe venerea cum mulieribus coitione verba illa sexti Geneseos capitis, quæ libro attulimus superiore videntes filii Dei, cætera; intelligenda existimantes. Verum nec filiorum Dei nomine, Angeli, sed Sethi filii, ut perspecte Augustinus observat; (lib. 15. de civ. Dei. cap. 23.) ibi apud Genesim innuuntur, nec Angeli, quoniam puræ sunt mentes, aut certe animalis sanguine, e quo semen, ut recti docent Medici, excernitur, prorsus cassi, esse possunt ad generationem idonei. Quare eorum opinio probabilior, quibus Angeli invidentiam peccasse sunt visi; quæ ægritudo est ex alterius rebus secundis, quemadmodum misericordia ægritudo ex alterius rebus adversis. Utor autem, docendi causâ, verbo rariore quod invidia tum de eo qui invidet, dicitur, tum de illo etiam, cui invidetur: ac de invidente solum dicitur inviden-

tia. Sed, quod narrabam, Angelos Adami et Evae felicitati invidentes ad peccandum eos impulisse; idque illorum fuisse noxiam alii docuere Theologi probabilius. Nec recenseo demum illa.

Communis jam vero sententia est, sed pervetus, superbia, primum Angelos peccavisse: quod sibi suis de dotibus stultissime placuissent; nec Deo, a quo eas omnes acceperant, dignas grates, et laudes habere voluissent. Huic autem elationi, et fastui invidentiam multi adjiciunt, qua de proxime exposui: Angelorum nempe nonnullos honori hominum, quos supra manuum suarum opera, velut secundarium numen aliquod, Deus constituerat, invidisse: quae sane opinio sola ferme jam pridem in Eclesia viget, primam illam de mulierositate a Theologis prorsus ejecta et explosa sententia.

Sic igitur habetote, cum Angeli purae sint mentes, non a corporeis, sed a spiritalibus solum bonis eos affici posse. Atque adeo nec primum ipsorum peccatum aliud esse potuisse a superbia, aut invidia, quippe quae circa spiritualia bona versantur, et aliorum radix sunt, origoque peccatorum; nec alia in ipsos

cadere posse peccata, quam ea, quorum materia est, vel, ut ajunt, objectum spiritale, ut odium, contentio, infidelitas, arrogantia, caetera consimilia. Sunt enim noxiae aliae quamplurimae, quae in rebus ad corpus spectantibus, tamquam in materia versantur: ut in pecuniis avaritia tota est, in gula esculentis, et potulentis, in sensuum voluptatibus luxuria, in aliis aliae quibus res, quae solutae sunt mentes afficineque-unt. Sed quod improbi ac miseri Angeli, quos Daemones dicimus, ad omnia peccatorum genera admittenda invidia acti homines inducere studeant, omnium propterea rei peccatorum et originum efficiuntur. Quocirca etsi quoad affectum spiritualia solum, ut ita dicam, peccata in Angelis esse possunt, omnia tamen quoad reatum ipsi locum habere per bene docet Angelicus. (1. p. q. 63. art. 2. in O) Haec de merito illa de ordinibus.

Atque novem Angelorum choros vel ordines suis distintos nominibus, memorat Scriptura, cujus tam sunt illustria hac de re loca, et insignia, ut nihil ea sit opus afferre. Quamobrem esse, inquit Augustinus, Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates, in Coelestibus apparatibus firmissime credo, et

differre inter se aliquid indubitata fide teneo;:::: sed quaenam istas int, et quid inter se differant nescio. (lib. ad Orot. cont. Plitilianis. c. 11.) Tres autem in Hyerarchias, hoc est, sacras quaram, et principes acies, vel exercitus, novem illos ordines auctor operis de Coelesti Hierarcha (c. 6.) Magnusque Gregorius (hom. 34. in evang.) distributos existimant: tametsi alter ab altero duorum in ordinum dispositione dissentit, Principatuum scilicet ac Virtutum. Haec est enim Dyonysio illi Angelicorum ordinum dispositio. Seraphin primas, secundas Cherubim, tertias Throni in prima obtinent Hierarchia: in alteras primas Dominationes, Virtutes autem secundas, tertias Potestates; tum in tertia princeps Principatibus locus est, medius deinde Archangelis, Angelis denique infimus. Similiter Damascenus. (lib. 2. c. 3.) Gregorius autem de prima quidem cum auctore illo convenit Hierarchia; at in secunda primum Dominationibus locum tribuit, Principatibus medium, ultimum Potestatibus; et in tertia Virtutes primum deinde Archangelos, tum Angelos rubt reposito; (cubi supra) assentitur Gregorio Bernardus (lib. 5. de consid. c. 4.)

Ab ipsis praeterea ordinum ejusmodi vel chororum no-

nibus dignitates ipsorum, et proprietates tres illi quidem quas modo memini auctores repetendas existimant, inter se tamen aliquando sic hic, ut ibi discordes. Dionisii namque (c. 7. 8. 9.) sententia ab egregia flagrantissimaque charitate, qua et Deum prosequuntur, et reliquas ad Deum ipsum diligendum Angelicas mentes accendunt, Seraphin dicta sunt. A Scientia divinorum praestantissima, qua caeteros se minus nobiles, illuminant Angelos Cherubim. Throni autem ab eximia quadam ipsorum virtute, vel dote, qua facti à terrenis affectionibus longè purissimi, et remotissimi; divinis excipiendis illustrationibus redduntur aptissimi: instar vacuarum scilicet sedium, ut ibi Deus assideat paratarum. Horum etiam interesse putat, ad hancce virtutem reliquas instituere Angelos inferiores. Deinceps Dominationes ab insigni servilis affectus omnis immunitate, quâ quidquid ad Dei gloriam pertinet, ac honorem, curant efficiendum. Praeterea Virtutes â singulari quâdam et inconcussa in Dei obsequio et famulatu fortitudine ac efficatia: quemadmodum ab invicta in eadem divinitatis servitute constantia Potestates. Tertiae demum ordines Hierarchiae ad gerendarum rerum exercitium sic judicat pertinere, ut Principatus tamquam primi sint duces illo in exercitio, medii deinde Ar-

changeli, tum Angeli postremi et infimi. Hæc auctor ille longe et ipso in libro, et late prosequitur. Gregorius autem et Bernardus (ubi supra) Seraphin â charitatis ardore, â sapientiæ vero plenitudine Cherubim vocata concendunt. Thrones vero Dei vel Sedes alias dictos Angelos putant, quod per eos sua Dominus judicia decernat, et omnia, ut Bernardus annectit tranquille dijudicat. Dominationes, quod inferiorum ordinum officiis velut domini, omnibus praesit. Principatus quod subjectis sibi Angelis divina jussa exercenda distribuant, Gregorius autem ita appellatos: quod autem regna terrae omnia, principatusque harum rectione mentium constituantur, administrentur, vel mutentur etiam, ac evertantur, Bernardus existimat. Quod Diaboli vim cohibeant, ne quantus is velit, nobis officiat, Potestates. Quod miracula fiant per ipsos, et signa, virtutes. Quod majora nuntient nobis Archangelos, Angelos quod minora: quamquam de his mens est alia â Gregorii mente Bernardi. Hic enim, qui singulorum custodes hominum sunt, eos dictos Angelos putat.

Quædam et inter Dæmones reipublicæ, Politiæ ve, ut sic ce dicam, forma esse videtur. Cum de Dæmoniorum principe, ejusque regno, vel principatu, divina saepe scripta meminerint. (cf. Matth.

21. Lucae c. 11. vv. 15. et 18.) et (Ad Ephesios c. 6. v. 12.) atque nam sit illius nequissimae forma reipublicae sacra hic tacente scriptura nescitur.

Ad officia tandem devenimus Angelorum: quem certe locum, quamvis per late pateat, et sit a nonnullis uberrime pertractatus; tamen cum per multa incerta contineat, brevi transire declaratione voluimus. Atque Angelorum officia sanctorum cum nobis de ipsorum, sermo ordinibus fuit; modo scilicet obiter explanata reliquimus. Hic ergo, divinis testibus scripturis, Dei optimi Maximi et majestatem venerantur, et gloriam celebrant, et voluntatem exequuntur et judicia exercent, et hominibus decreta renuntiant; homines praeterea ipsos tuentur, status etiam, Ecclesiasticum, Civilem, atque Oeconomicum. Neque ab hoc Ethnici dissensere, qui nimo singulis non regnis modo, non urbibus, at populis sed hominibus quoque singulis genios singulos rebantur praefectos. Euclides autem Socraticus par geniorum bonorum nimirum et malorum cuivis appositum homini Censorino auctore, (De die natali capite 3.) sentiebat. Quod autem hominum nemo custode careat Angelo sententia quidem est communi Christianorum persuasione, maximoque Theologorum firmata consensu; at id nec Ecclesia hade-

nus definivit nec inter ipsa fidei dogmata recensetur. Illud jam ve-
ro impium, illud intollerandum, illud divina cum bonitate repug-
nans, singulos à Deo singulis hominibus datos Daemones tentato-
res: tamen si eum pati, scriptura docente ipsa, concedimus, ut homi-
nibus insidientur Daemones aliquando.

Horum etenim Angelorum officia malignorum
ex aliis eorumdem in Deum, et in homines incredibili sunt pro-
fecta. Quo circa totus in eo pravus omnis est angelus, ut homines
vel ad scelera aliciat admittenda; vel ipsis obsessione noceat, magia
vel spectrix. Atque Daemones hominibus diu noctuque, ut ad vetita
pertrahat admittenda, insidiari, non sacra tantum scripta do-
cent, verum Phylosophia etiam et Pagana: constat res enim haec
inter omnes. Non absimile illud est quod de Energumenis sentiunt
et credunt Catholici. Is autem homo graece dicitur Ηνεργομενος
qui à Daemone obsesus est, vel possesus: hoc est, ille, cujus in corpus Dae-
mon ingressus est aliquis, qui potestatem acceperit illum ipsum affli-
gendi hominem, aut vexandi. Namque haec duo, ut energumenus qui-
piam sit requiruntur, ingressus ille Daemonis, et potestas. Jam per mul-
tas, dum Christus in hominibus degeret, à Daemonibus obsesos fuisse ho-
mines, sacrae passim scripturae testantur; postea quoque extitisse nonnu-

llos, à Dæmone similiter tortos, fide dignissimis constat histori-
cis. Saulem identidem malo vexatum spiritu, à Davide quecy-
tharæ sono liberatum: Saran Rabuelis filiam à Dæmone
obsesam, et à juniore liberatam Tobia: duos præterea homi-
nes in Gerasenorum regione, Dæmonia habentes, Christum
Dominum liberasse aliumque à Dæmonum legione correc-
tum, alium mutum habentem spiritum, alios denique à Dæ-
monibus vexatos homines et ab ipso assertore nostro Jesu
Dei et Mariæ virginis filio liberatos, scripta divina com-
memorant.

Vitæ autem Patrum in desertis degentium lo-
cis, in montium fastigiis, vel radicibus, in antris etiam ru-
pium, eorum exemplis plenæ sunt omnes, quos Dæmones
obsiderent, possiderent, et infestarent: maxime Abbatis An-
tonii vita sanctissimi, quam Sanctus conscripsit Athanasi-
us, Alexandrinus Patriarcha, qui ejusdem Antonii tempo-
re vixit, ipsius que consiliis utebatur. Primi autem Eremi-
tæ Pauli gesta conscripsit Hieronimus: cæterorum vitas
Sanctorum Ephræmus, Rufinus, Paladius, Sulpicius deinde
Severus, Cassianus, Theodoretus aliique, quorum est omnium

auctoritas maxima, quippe quorum multi prudentissimi, maximeque probi et docti et coevi testes, et oculati. Ethnicos præterea doctiores cum Christianis hac in re consentire res est cuique in Phylosophorum scriptis mediocriter versato notissima. Ecclesiæ tandem omni, nec nostro quidem dempto tempore, persuasum est, à Dæmonibus obsideri homines, et domos infestari: quippe quæ à Deos inde pellendos preces, ut nostis, præscripserit, et præscribat; regulas que tradat, quas sequi deberi Exorcistæ. Quamvis fateor, operatibus Dæmonibus, imperite non nulla, imo plurima, quorum non illi causa sunt, sed atrabilis, mentis ve hominis perturbatio. Hominem autem in aera tolli indeque vehementer actum, terram versus repelli, sancta adversari, lingua loqui aliqua peregrina: præsertim sine illorum ope membrorum, quæ emitendæ voci necessaria sunt; nam numquam enim ore prorsus clausa, immota ve lingua, vel ad mentus usque porrecta energumeni loquuntur: terribiles præterea oculos, et velut igneos habere, immanes virasque [illegible] tuum commotiones pati, aliaque id generis signa sunt ejus, qui à Dæmone obsessus est. Duas ego hic vias cavendas video extremas incredulitatis, ut ajunt, unam, nimie alteram credulitatis: [illegible]

arrogantes hic homines, qui fortes se spiritus vocant, ingressi sunt; altera idiotae, ac timidi ingredi solent. Hic rara omnia Daemonibus tribuant illi penitus nulla. Nec horum este comites, nec illorum; medio tutissimus ibit quisque nostrum. Itaque sic habere, et Daemones invadere, ac torquere humana posse corpora, cum mentes possint omnes corpora commovere, licet, qua ratione, fiat nesciatur; et invasisse ac torsisse nonnumquam, ut ex ante expositis satis patet.

Pariter de Magia sentite posse homines, Diabolo adjuti, cum mira patrare aliqua, tum aliis nocere hominibus; quod ex eo perspicuum est, quod homine potentior Diabolus est, ac efficientior: praeterea id factum esse aliquando, ut prodigia ab hominibus, maleficiaque, ope Daemonis, facta sint; quod Scriptura Divina docet, Ecclesiasticique historici solertissimi. Quamvis et his in rebus, quae ad Magiam pertinent, media tenenda est via, extrema qualibet declinata. Ad spectra quod attinet, quid sentiam, dicam? ve nescio; cum ex doctis alii animas esse mortuorum hominum putent, quod respuo; alii, et probabilius quidem, Daemones; meras alii fabulas, quidquid de spectris narratur existiment. Quin fieri ea possint non dubito; an autem iis, quae contigisse narratur nonnulla saltem re ipsa con

tigerint, affirmare, aut negare, difficilimum mihi semper fuit factu, propter eorum, qui utrimque stant virorum auctoritatem et gravitatem. Quamquam quaedam ab iis narrantur à quibus nescio quo pacto dissentire valeamus: tanta ipsorum est et pro bitas, et scientia. Haec tandem, cum voletis apud Delerium longissime discussa, et doctissime, videre potestis.

Methaphysicae Liber Quartus

Psychosophia.

Psychosophiam ergo vocant Phylosophi scientiam, quae in humanarum cognitione mentium tota est constituta: ob id quia Ψυχη animam, quisquis graece, et Latine scit, vertat. Difficile autem dictu est, quanti scientia fieri haecce debeat; quantumque cum hominum praxes omnium, tum nostra maxime phylosophorum, studium ejus intersit. Quid enim, quaeso, ea sit disciplina utilius homini, quae divinam, ut ita dixerim et immortalem suae naturam mentis exquirit: quo peritura haec mundi hujus bona contemnat; alterius autem gaudia respiciens sempiterna, dignam eorum vitae rationem instituat?

Hujus autem libelli, ut ad rem statim aggrediar, tria erunt omnino membra, seu capita dirimenda. Primum enim

mentis nostrae natura, et origine disseremus; de ipsius cum corpore unione plane mirabili postmodo; tum de praecipuis ejusdem facultatibus, intelligentia nempe voluntate, memoria.

Caput primum De

humanae mentis natura et origine

Humana igitur mens non secus, atque res quaevis alia ê suis nota nobis est affectionibus: haec autem ex actibus ejusdem se praebent cognoscendae, quod saepe vobis me inculcasse memini. Jam humana certe mens percipit, judicat, ratiocinatur, dubitat, opinatur, conjicit, meditatur, vult etiam et non vult: quae quidem omnia, ita spiritales sunt actiones substantiae, ut â corporea re nulla, imo nec ab ea, quae tandem incorporea sit, quemadmodum infra perficiam, fieri, praestarive possint. Quamobrem definiri potest cum Augustino mens nostra, substantia quaedam rationis particeps, regendo corpori accomodata. (Lib. de quant. anim. c. 13.) sive hoc modo, quod tendit eodem, substantia cogitans, quae humano conjuncta corpori, rem illam, quam diximus hominem constituit.

Cum autem existere, tam est certum, atque perspicu

rem, ut nihil profecto magis. Quid enim, ut magno ipso cum Augustino philosopher, (lib. 10. de trin. c. 14.) tam cognitioni adest, quam id, quod menti adest? aut quid tam menti adest, quam ipsa mens? et paulo, v ante, vivere se, inquit, et meminisse, et intelligere, et velle, et cogitare, et scire, et judicare quis dubitet? quandoquidem, etiam si dubitet, vivit; si dubitat, unde dubitet meminit; si dubitat, dubitare se intelligit; si dubitat, certus esse vult; si dubitat, cogitat; si dubitat, scit se nescire; si dubitat, judicat, non se temere sentire oportere. Quae cum ita sint, mentem esse nostram perfectum est.

Sed qualis tamen substantia illa sit, videamus. Spiritalem dico, nedum incorpoream: quod ita concludo. Intelligit ipsa, et vult; quidquid autem id praestat, id spiritalis substantia est. Est igitur mens hominis substantia praeterquam incorporea spiritalis etiam.

At duo perditissimorum, profligatissimorumque philosophorum genera demonstrationis hujus, quam modo attuli, improbant propositionem. Epicurei namque corpoream judicarunt rem esse simul tum motus, tum et cogitationis capacem: ideoque mentem contendunt nostram, etsi cogitet, tamen nihil esse ali-

id à materia distinctum. Hobbetiani praeterea, quos sensistas, Materialistas que appellant, actiones rei objectae, et in ut, fibras ner- nos, ita dicam creatione fibrilarum, et nervulorum, è quibus senorum instrumenta constant, quaeque in cerebro terminan- tur, velut ut iisque concursu cogitationes nostras, putant esse contentas. Illos attamen sic confuto. Aut illa cogitandi vis, à mo- trice diversa, qua praeditam esse putant materiam, substanti- am ve corpoream, suas efficit actus motibus corporeis; aut alius modi; si primum respondebunt, id ipsum objicio, quod infra rege- rant Hobbetianis; omnino nempe pugnare, motibus ut corporeis cogitationes possint esse contentae. Sin alterum, eodem in subjecto simul esse non possunt diversi generis facultates, quarum ali am interimit alia. Vires autem illae facultates ve cogitatrix nimirum et motrix, sunt, ut statim concludamus, diversae, et oppositae. Nequit ergo una, eadem natura et essentia, ex illis esse compacta.

Ut autem Hobbetianos convincant, quaedam prae mitenda sunt refutationi. Primum, ut judicium, ratiocinatio ve ulla in nobis exsistat, plures menti nostrae, quidquid illa est ponatur, ideas simul adesse debere: est namque ut quisque

pernoscit, judicium nihil aliud, quam ejus ordinis, qui inter duas pluresve ideas reperitur cognitio; ratiocinatio eadem ordinis perceptio ejus, qui plura inter judicia intervenit. Ex quo fit, ut nullum esse possit judicium, nulla item ratiocinatio, modo ne simul ideas judiciave inter semetipsa conferantur. Conferri autem ea inter se, quae una non sunt, nec simul existunt, et percipiuntur, certe non possunt. Nullum igitur judicium, ratiocinatio fieri nullam posse relinquitur, nisi simul ideae, judiciaque, quae conferantur existant.

Demus namque mentem tempore A, verbi causa unam quamdam figuram recipere; figuram vero alteram tempore quoque altero, scilicet B. Quidnam aequales sint, vel inaequales nullatenus poterit deprehendere. Primo namque tempore primae tantum figurae sibi adest repraesentatio, vel idea; idcirco que relationem illius cum altera aequalitatis, vel inaequalitatis discernere mens nequit. Pariter alio tempore, nempe B, quo alterius tantum figurae notionem habet, vel ideam accidet. Ex quo perspicuum est, in judiciis, ratiocinationibus que fingendis quae conferuntur ideae vel judicia, ea una necessario adesse judicanti debere, vel

ratiocinanti; atque toti illi temporis intervallo, quo judicium, ratiocinatiove viget, efficaxque, et intensa perseverat, coexistere.

Secundum si nihil aliud perceptiones sint, quam motiones cerebri quaedam; tot esse deberent distinctae, ac diversae ipso in cerebro motiones, quot distinctae essent ideae vel diversae. Nam tam externa rei objectae actio in cerebrum, quam interna cerebri reactio singularia quidem entia sunt. Nullum autem singulare, ut est perspicuum, singulare potest alterum continere. Si ergo una quaedam motio integra, ex actione, constans, et reactione, una sit idea; tot actiones ejusmodi esse in cerebro distinctae debent, ac diversae, quae ideae sint in ipsum sui notiones: neque hoc tantum fit, sed etiam tamdiu eas perseverare debere, quamdiu vividae, intensaeque ideae perseverent.

Tertium, motiones corporeae in individua materiae parte fieri nequeunt; ideoque neque perceptiones, vel ideae, si haec nihil a motionibus illis distinctum esse ponantur. Motus enim est uno a loco in alterum rei alicujus migratio, quemadmodum et in logicis, et in Physicis exposuimus, et omnis, excepto prorsus nemine, fatetur Phylosophus. Plura igitur motus quivis exigit loca, quorum

unum corpus deseral, ut alterum nascitatur. Nequit ergo motus in individua spatii parte perfici, quod erat quidem hoc loco ostendendum.

Quartum conscientia perceptionis vel judicii, vel ratiocinationis est, ut patet, horum perceptio: quare si perceptiones, si judicia, ratiocinationes ve corporeos motus esse po natur; conscientia motio quaedam, motibus ab illis distincta esse debebit. Percipere namque solem, ut utar exemplo, esse que quempiam sibimetipsi perceptionis ejusmodi conscium, vel qu od idem est, sensum, et animadversionem perceptionis habe re, diversa quidem, ut perspicitis, sunt: aliud enim est, me solem percipere, aliud me percipere solem à me esse perceptum. Utrumque autem eodem conflictu fieri nequit, sed pluribus opus est motibus, et concursibus. Pariter idearum collatio, ut fiat ju dicium; judiciorum ve, ut ratiocinatio fiat, collatio, ab ideis et ju diciis diversa prorsus est. Est enim certè aliud, hoc vel illud per cipere; aliud vero hoc cum illo conferre. Ex quo fit, ut alius re quiratur conflictus, alia ve motio in judicio, ratiocinatione vi quavis, ab illis conflictibus, vel motionibus, quibus ideae judicia que continentur, diversa. Quibus quidem ordinis, atque perspicui

talis ergo praepositis, hoc in primis efficitur, conscientiam motionem esse non posse corpoream. Si enim conscientia ejusmodi in motione sit posita, aut erit impressio rei alicujus objectae, aut erit mentis reactio, aut utriusque, impressionis scilicet et reactionis conflictus, aut tandem conflictus hujusce reflectio. Superiora autem illa esse conscientia nequeunt: sunt enim sensatio ipsa, perceptiove, aut idea, ut Hobbetiani fatentur. Neque vero postremum: illius enim conflictus reflectio alio est peragenda conflictu, ut est pernotum cuique, atque perspicuum. Motus autem hic aut à priore distintus est, aut iidem iidem. Si distinctus ponetur, utraque conflictus duae tantum erunt ejusdem rei repraesentationes distinctae, perceptio tamen perceptionis non erit: nullus enim conflictuum alterum continet eum, sit uterque singularis, atque adeo nullus ipsorum alterum valeat repraesentare. Sic soni alicujus reflectio sonus est alter sono à priore distinctus, licet ipsi antecedenti sono persimilis. Sin autem distinctus non erit, minus explicari conscientia potest Hobbetianis; quippe per eum ipsum motum, in quo directa cognitio aliqua sita est, explicari certe non potest: cognitio enim nulla, quae conscientia sit, directa esse potest, sed omnis

esse debet reflexa.

Sit deinde judicium longe aliud esse ab actione corporea. Est enim judicium omne idearum plurium harumque relationum collatio, atque cognitio. Quae res est ab ideis, conferuntur, et cognoscuntur, diversa. Jam cum singulae perceptiones e singulis oriantur conflictibus, si motiones illae sint, ut vult Hobbianus corporeae; comparatio esse debet conflictus, ab illis superioribus distinctus re vera conflictibus. Cum autem ea sit omnium natura singularium, ut nequeat eorum unum alterum continere; efficitur, ut nec phanthasma, visumve A contineat phanthasma, visumve B, nec B, A. Quod si sese haec visa non continent, nec se vicissim referre possunt, ut patet. Praeterea si collatio conflictus sit tertius, vel concursus, hic debet ambo illa continere phanthasmata; quae tamen non magis continere potest, quam duo illa ipsa phanthasmata, aut visa sese possunt reciproce continere. At nisi id fiat, erit profecto nulla idearum collatio. Id autem, ut confecimus, fieri certe nequit: nulla ergo idearum effici comparatio potest, si perceptio, judiciumque corporeae sint motiones.

Sit denique meditationem, perquisitionem, conjectu

rum, ratiocinationem, idque generis cogitationes alias, puras esse non posse cerebri motiones, aut ex actione et reactione conflictus in cerebro exortos: ob id quia in his omnibus judicium inest aliquod, vel conscientia, quae mera cerebri motione constare, ut ante perfecimus, nequeunt.

Sed quid me tam perspicua notaque veritas tamdiu potuit remorari? Augustinum, magnum inquam Augustinum in medium afferamus, oportet, qui divino suae mentis acumine lite quam jam pridem cum Hobbetianis sustinemus dirempta Hobbetianos convincat ipsos erroris, sic elingues a nobis recedant, in malamque abeant crucem. Augustinus ergo secundo soliloquiorum libro tertio capite, *sensum*, inquit, *et phantasiam falli, rectum baculum, cujus dimidia pars aquae immersa est, curvum exhibentes; cum interea errorem detegat ratio, idque adhuc existente contraria sensus phantasiaeque notitia.* Quod si nihil aliud ab eo conflictu distinctum, ratio esset; aut errorem mens non agnosceret, quoniam perseveraret idem ipse conflictus, dum idem referat phantasma; aut si se corrigeret, non idem refferret certe phantasma, quin idem ipse conflictus esset. Hinc ergo recte colligit Augustinus quare *conficitur, ut aliud simus nos aliud*

sensus; siquidem cum ipse fallitur, possumus nos non falli.

Grates tanto rependantur victori, qui in nostri gratiam tot, ac tantos et potuit, et voluit hostes abigere devellatos. Itaque motionum conflictu corporearum, quisquis ille sit, exoriri in cerebro posse et trianguli, et quadrati, et anguli, et linearum visa, quemadmodum aliqua in tabella, vel linteo luminis radiorum ictu imagines describuntur, non ita repugno, ut omnino diffitear; at eodem ipso concursu, conflictuve particularum eas percipi posse figuras, ipsarumque aequalitatem, aut inaequalitatem concipi, et internosci, debacchari est, nedum decipere, et insanire. Modo namque fieri nullo potest, ut corpus, et corporis idea unum idemque sint. Qui enim convenit, ut ea abstractionis ope secernantur figurarum discrimina, si et idea, et abstractio et corpus una sint prorsus et eadem res?

Quae cum ita sint omnia, perficimus, rem hanc quam humanam dicimus mentem, nec corpus esse, nec affectionem corporis aliquampiam: cum ejus, quod est corpus, aut corporis affectio vel qualitas, actio prorsus omnis in partium illius motione sit posita; nec humanae mentis actus, ideae scilicet, judicia, caetera, hisce possint motibus explicari. Nihil certe aliud actionem

in eo, quod corpus est, corporisve qualitas intelligimus, nisi partium motum, quem ut cogitationes explicentur, quas mens fingit hominis, satis non esse perspecimus. Aliud ergo à corpore, corporisve qualitate mens est: scilicet substantia quaedam incorporea, intelligens, libera omni prorsus corpore, ac materia longe nobilior. Epicureos igitur omnes, cum veteres, tum hodiernos, quos Hobbetianos, sensistasve dicunt, invicta penitus ratione convicimus. Nam nec ejusdem substantiae facultates esse possunt intelligentia, visque motrix, quod illi volunt; cum diversi omnino sint generis, diversorumque effectuum efficientes, et repugnantium, scilicet cogitationis, et motûs; nullius autem essentia substantiae, quippe, quae res est maxime simplex, è viribus essentia discrepantibus potest esse conflata: et cogitatio qualibet, vel cognitio aliud sit à motione distinctum, quod sensistae fateri coguntur.

Neque vero reperiam homines unam eamdemque substantiam, utraque vi motrice nimirum, et cogitatrice esse posse donatam; quoniam ejus, qui substantias esse nihilo fecit omnes, infinita sit, et interminata potentia, quae quidquid velit, efficiat. Nam una eademque essentia illis esse nequit facul-

talibus donatur vel viribus, quae diversi sit ordinis, generisque, et quarum altera inimica sit alteri: pugnantia enim profecto loquetur, qui oppositas inter se vires in una eademque essentia contenderet reperiri. Vis autem motrix cogitatrici opposita est virtuti; cum illa solidas exigat partes, quas haec omnino repellit. Repugnat ergo altera alteri, motrix nempe vis cogitatrici. Esse igitur in una eademque substantia nequeunt copulare.

Quod si nobis adhuc assentiri renuant adversarii, rationibus eos ego prorsus invictis abdicam. Sic ergo substantiae corporeae, cujus est vis motrix propria, cogitandi vim esse non posse concludo. Jam judicium, quam ratiocinatio est actus inter se conferens ideas. Actum jam vero hunc ponamus esse A: ideas vero conferendas vocemus B. C. D. E.; quas esse demus motiones partium cujusdam corporis, quod G appellamus. Age nunc quatuor illae superiores ideae conferri nequeunt inter se, nisi in unam actionem A, ut sese mutuo inibi repraesentent, concurrant. Hoc autem aut fit, quia quatuor ejusmodi motionum subjecta unum in locum compenetrata coguntur; quod videtis corporis soliditatem evertere: aut quia actiones illae ipsae sine suis subjectis in primam illam A abeunt; quod penitus pugnat, cum

modi nulli à suis existere possint separati subjectis. Quibus ex rebus sole illustrius fit, corporis extentionem, soliditatem, caetera tandem ejus atributa essentialia cum cogitatione atque adeo cum efficiente cogitationum virtute, hujusque virtutis subjecto, quod mens est hominis ipsa, pugnare. Itaque neque res ulla corporea cogitandi virtute, neque cogitans ulla substantia motrice vi, magnitudine, aut soliditate esse quit praedita.

Ad haec, nam et aliter rem hanc conficere juvat. Cogitationes sunt, ut patet, actiones. Harum ergo aliqua esse vis debet, ac potentia, hujusque potentiae subjectum aliquod substantia, principium. Actio enim omnis vim exigit efficientem, visque omnis efficiens fulchrum aliquod, ubi innixa, consistat. Haec tam sunt perspicua, in medioque posita, atque cuique pernota, ut omnes ea concordissimé fateantur. Jam si subjectum illud cogitationum est corpus, idearum representatio, et perceptio, judicium item, et ratiocinatio non aliter quidem, atque corporearum conflictu particularum fient: quod cum esse nequeat, incorporea, spiritalisque alicujus substantiae actus esse debent cogitationes. At qui nostrarum subjectum cogitationum mens est humana. Perspicuum ergo est, illam neque modum esse, nec accidens, nec harum

niam aliquam, nec temperationem, nec motionem, cum haec om-
nia meri sint modi, iique corporei; sed substantiam, eam quae ro-
in corpoream modo, hoc est, magnitudinis, inertiae ac soliditatis
expertem, verum etiam spiritale, id est intelligentiae, atque liber-
tatis participem.

Ex quo fit, atributa humanae mentis essentialia ab il-
prorsus interesse atributis, in quibus corporis essentia est, ac natura
reposita: atque adeo cum corpus omne ob id quia magnum est
dividi ac dirimi possit; divisionis, diremptionisque omnis inca-
pacem esse mentem sequitur, quippe quae nullam possit mag-
nitudinem, vel, ut ajunt, extensionem subire. Hinc humanae
sequitur immortalitas mentis, quam multifariam ostendam.

Principio enim nihil corruptione perit, quod est quidem
mori, nisi quatenus ejus dirimuntur partes à semetipsis, ac dive-
lluntur. Quidquid ergo mortalitati subjectum est, partium par-
ticeps esse debet. Simplex autem intelligens omnis substantia
est; quippe cui nulla inesse possit extensio. Vacat ergo intelligens
omnis substantia partibus, quae à semetipsis divelli ac dirimi
possunt. Mens igitur nostra, quoniam substantia est cogitatrix,
simplicitate pollet, estque partium expers, atque adeo interitum,
cor-

corruptionem, aut mortem, quae in partium diremptione consistit, experiri non potest. Quid, quod in rebus simplicibus vita, essentia, exsistentiaque unum et idem sunt? si ergo res pereunt istiusmodi, totae simul intereant, est necesse: sive, ut ajunt anihilantur, quod latine loquendo, nihil est, ut intelligitis, aliud, quam occidere in nihilum, vel ita rem aliquam esse desinere, ut nihil ejus prorsus remaneat. Jam si res istae corruptione perirent, earum aliquid relinqueretur, quod de eo, quod simplicitatis est particeps, dici certe non potest. Itaque nihil rei simplicis, cum ipsa perit, si periret, superesse potest, quin tota res ipsa supersit.

Praeterea nullius, ut ita dicam, anihilatio rei naturae vi perfici potest. Nequit ergo humana mens viribus naturae perire. Ecce autem vobis argumentum, quo mirabiliter Volfius delectabatur. Deinceps nihil prorsus natura corrumpitur, sed passione, hoc est, eorum, quae in se excipit actione, vel pugnat. Nihil autem cogitans ulla substantia excipere valet ex corpore, quod suae sit naturae contrarium; cum nihil è corpore corporeum in id, quod incorporeum sit, valeat transmigrare. Nec passione quidem igitur perire quit animus.

Ad haec quae desideria, quae propensiones natura sunt rebus,

ea inania esse non possunt; cum nihil Pater, ac opifex mundi, na-
turaeque totius auctor, et altor, et rector, Deus Op. Max. frustra va-
leat operari. Est autem mentibus vehemens felicitatis, ac beati-
tudinis desiderium, natura que insitum, quo nititur ad aeterni-
tatem, ut sibi quisque conscius est. Hacce igitur desiderium inane es-
se nequit, ac irritum. Semper ergo humanae mentes existent.
Quod autem est ejusmodi, id immortalitatis est particeps. Est ergo
mens hominis immortalis. Cumque sua ipsa natura sic sit, na-
turaliter illam immortalem esse, relinquitur.

At non defuere tamen Scholae Theologi, qui humanae
immortalitatem mentis divina quidem credi debere revelatio-
ne, sensuerint; at nullis tamen certis perspicuisque naturae ra-
tionibus demonstrari eam posse; propterea, quod rem esse, puta-
rint, supra brevissimum humanae captum intelligentiae constitu-
tam. Eminentissimus Cardinalis, isdemque Gravissimus Scho-
lae Theologus Cajetanus, disertissimi Melchioris Cani praecep-
tor, se id credere, ait; sed nescire tamen: queamadmodum illustrissi-
mus Canus ipse tradit. (de Loc. Theol. lib. 12. c. 1.) Earum autem,
qui sic judicant hoc esse solet argumentum. Tamdiu creata
res vivit, quoad eam vivere Deus vult, auctor ejus, et servator om-

nipotens. Quousque autem mentes vivere hominum Deus velit, scire, inquiunt, nescimus, nisi divina revelatione, seu divinae voluntatis manifestatione. Ut ergo divina constet omnes catholicos fide hominum mentes in aeternitatem extituras; non tamen id magistra duceque natura docemur. Haec ergo illi, quos sicut sequitur, confutandos existimo.

Nam Dei voluntas et si non prorsus, ex parte tamen nobis nota sit non revelatione modo, sed ipsa naturae ratione: cum et revelatio, et naturalis nostra omnium ratio, duo sint, ut alias diximus, quasi radii aeterni Dei luminis fulgentissimi. Propterea vagatum illud est apud phylosophos, cum naturae via, tum prophetiae Deum homines alloqui, suamque illis patefacere voluntatem: quamobrem phylosophos naturae vates sapientissime Augustinus vocabat. (lib. 2. de ord.) Si cum homini utrumque Deus concesserint sexum masculinum, nimirum, et femeninum, quisnam eum velle nuptias dubitabit. Praeterea cum vires omni tribuerit animali; quisnam inde ipsis ea uti suam incommodum vitaeque conservationem Deum velle non colligat? Age nunc inter alia, eaque non pauca, quae naturae testimonio de divina novimus voluntate, hoc est unum, animos hominum immor-

talitate gauderet. Quid enim attinuisset, eos natura sua intelligentes condere, aeterni cupidas, aeternitatem spectantes, ad aeternitatem nitentes; si tota eorum vita brevissimo non unius dicam saeculi ambitu, sed unius plerumque anni, imo mensis, et diei intervallo contineretur? Ex quo fit, ut cernitis, Deum nostri mentes non diurnas voluisse, nec menstruas, nec annuas, binas, aut saeculares; sed earum vitam ipsa cum aeternitate adaequandam constituisse.

Nullo autem vos eximia quadam cognitione privabo. Sic se illa, ut sequitur habet. Veteres quidem Theologi luculentum divina ex providentia argumentum sumentes, ut animos hominum immortales esse persuaderent; constat, aiebant, plerosque proborum, dum hanc vitam degunt, perpetuis adversitatibus premi; contra improbos fere omnes prosperitatibus cumulatos jacere. Deus autem justus est, rectissimusque bonorum omnium, malorumque remunerator. Nisi ergo altera sit vita superstes, qua bonis bona retribuantur, malis vero et improbis mala; videri posse, res hominum a Deo negligi, neque Deum humani providentiam generis habere, quod dicere, sentireve, per absurdum est, et hereticum. Quae quidem omnia et p

cundissimo Eclesiae Patre Chrisostomo sunt excerpta. (ort. 2. de provid.)

Deinde incorporeos esse, immortales que nostri animos, praeterquam quod clara constat naturae ratione, christianae religionis est dogma. Tales siquidem illud est, quod a Deo constiterit revelatum. Quae autem a Deo revelata sunt nobis, ea divinis in libris, et traditionibus reperiuntur. Utraque autem via mentis ut ita dicam, incorporalitas, et immortalitas nostrae ostenditur. Est igitur religionis dogma Christianae hominum mentes, cum incorporeas esse, tum mortalitatis immunes. Plura utriusque loca Testamenti hac pro re afferri possent facilime. Veteris illud est perspicuum, quod in Genesi legitur, ubi humanae mentis creatio narratur. Cum enim Deum hominis corpus molli ex argilla compegisse dixerit Moyses; subdit Deum ipsum in ejus faciem corporis vitae spiraculum inspirasse, quo viventem in animam factus est homo.

Sed vero nec hoc, nec alia, quae e vetustioribus testamenti Veteris libris afferuntur, testimonia sunt ejusmodi, ut ex illis omnino perspicue mentis nostrae immortalitatem adversus Sotinianos demonstrare possimus. Sotinianos autem eos dici-

mus almae religionis nostrae inimicos, qui falsa, et iniqua Fausti Socini Senensis, qui saeculo Ecclesiae decimo sexto vixit, dogmata sequuntur. Hi Jesu Christi negant divinitatem, spiritum etiam Sanctum Incarnationis Mysterium Originis peccatum et gratiam. Novi sacramenta foederis nullius efficientiae sanctitatis esse; sed nullas, sed inanes, et vacuas caeremonias; blaterant: eaque à Deo abrogant attributa, quae humanam vincunt intelligentiam. Nostrae denique mentis immortalitatem, libris, quos nos divinos, et habemus, et credimus, esse contrariam. Quibus quidem in vestris gratiam interpositis; illuc, unde aberraveram, redire constituo.

Nullum ergo, aut fere nullum testamenti Veteris testimonium pro animorum immortalitate nostrorum omnino perspicuum, atque dilucidum reperitur. Fateor equidem ejusdem loca foederis, esse nonnulla, ut in libro Sapientiae, et in illis, qui Machabeorum inscribuntur, quae dilucidiora paulo sunt; sed hosce libros admitere nolunt Sociniani, à Deo dictatos esse negate. Nihilo tamen minus Vooo in foedere quamplurima, eaque luculentissima reperiuntur loci hujus testimonia; quorum illud illustrius inter ... tera, quod Christus Dominus, Matheo teste, discipulis exposuit suis. Vo-

lis, inquit, timere eos, qui occidunt corpus; animam enim occidere non possunt: sed timete eum, qui postquam occiderit corpus, potestatem habet, mittendi animam in Gehennam ignis (c. 10. v. 27.) Ex quo perspicuum est, non modo incorporeas esse hominum animas, verum etiam extinctis corporibus, superesse, ideoque immortalitate gaudere. Quo accedit Christianorum omnium perennis ab Apostolis ad nos usque consensio, qui numquam eos habuere Christianos, qui mentes una corpore humanas perire crediderint. Quem sane consensum ducite maximi: Est enim unus é precipuis Theologiae sacrae locis, aut fontibus, é quo permulta desumuntur argumenta certissima. Tanti enim scripta divina sunt, quanti divina quaevis, apostolicaque traditio.

Neque veteres Christiani Phylosophi, Ecclesiae ve doctores, qui Patres nobis objiciantur; qui solum Deum plene incorporeum esse dixere; spiritus vero reliquos quantacumque perfectione pollerent, sua habere tenuia quaedam corpora, subtilia, ignea videlicet, aut aerea. Neque septimam ullus mihi synodum producat, in qua sacrarum cultus imaginum esset statuendus; tum Graeci, qui Comitiis aderant, Patres, quam Latini illud velut axioma habuerint, nisi Deum, esse nihil aliud incorporeum, neque prodest

cuiquam doctissimum nobis Augustinum objicere primum, si fides est habenda Huetio, animorum incorporalitatis, ut aiunt, propugnatorem, qui quaestionem de anima, velut perpetuo quodam, corpore, vel quasi corpore, quod vehiculum dici solet, ad se nihil pertinere, scribit Nebridio. (Epis. 13. olim. 218.) Neque Guilermum denique Estium eximium Scholae Theologorum, qui rem istam numquam in Ecclesia definitam esse contendit.

Nam duas hic non videt esse quaestiones. Unam, nunc mens nostra sit corpus; aliam, corpore ne aliquo ipsa circumdetur igneo, vel aereo. Primum jam vero nullus umquam Theologus dixit, nullus credidit Catholicus homo. Postremum vero veteres aliqui sentiere Phylosophi, iique Christiani, non de mente tantum nostra, sed de Angelis etiam, et demonibus. Hoc etiam ipsum nullo dum Ecclesiae decreto Estius asserit definitum. Hoc autem septimae synodi Patres sibi voluerunt, cum solum Deum immortalitatem habere, ipsumque solum incorporeum plene esse senserunt: nempe ut nulla sit natura creata, quin obnoxia sit mutationi, solamque Dei naturam eam esse, in quam nulla possit mutatio cadere, aut vicissitudinis obrumbratio. Idque mortalitatis genus, quo pro mutatione ipsa

ipsa sumitur mortalitas Augustinus humanis tribuit mentibus eo libro, quem de animæ immortalitate conscripsit, id ipsam deniq. sibi volunt Sancti Dei homines diviniq. vates, cum soli Deo immortalitatem propiam esse pronuntiant: mortalitatis enim nomine mutationem, cujus creata res nulla est expers; immortalitatis vero immobiliatem, seu mutationis absentiam et immunitatem intelligentes. Quibus ex omnibus intelligitur, non sibi veteres adversari Theologos; sed omnes ad unum humanam mentem immortalem esse sensuisse, semperque judicasse: etiam si illis quidem Temporibus crederetur anima ipsa hominis, imo angeli, tenuissimo quodam corpore esse circundati; quod jam, exploratis amplius rebus nemo deffendit.

Sequitur, ut Epicureos Socinianos q. audiatis, ut scite, eoque

modo quo Christianos decet Metha-
phisicos illos ipsos refutare possitis.
Sic ergo concludunt: permagnus
is est consensus, qui inter corpus
hominis et mentem intervenit: quid-
quid enim animo accidit, eo corpus affi-
citur; et vicissim. Eadem ergo est utri-
que natura cum causis afficiantur, iis-
dem. Denique ita Corpus movet animus,
et à corpore afficitur, ut nihil percipe-
re valeat, vel sentire, nisi per ner-
vorum ad cerebri commotiones. Id autem
non contingere, nisi una esset utriusque
natura; nam tangere et tangi nisi
corpus nulla potest res. Est ergo ho-
minum animus corporatus.

Hobbetiani autem, veterum Epi-
cureorum asseclæ ad hunc modum non
philosofantur, dixerim, sed desipiunt.

cogitandi vis si a vi cerebri pendet, hoc
utquesso quod accidit in paralisi ebrietate
a mentia, lethago, idque generis morbis
alius, aut prave cogitemus, aut nullam
possimus fingere cognitionem. Quatuor
preterea sunt vires naturam hominis in-
begrantes, vis nempe begetans sentient
imaginans, et intelligens, eorum quas nu-
lla est homini prorsus alia. Hec autem
omnes sic eo Corpore pendent, ut abeo
sejunctae esse non possint. Quis enim
neget, aut non videat, nullam motu
dempto nutritionem esse corporis, aut
vegetationem? Pariter sine nervose
irritatione tellę tunicę vel membrane
nulla, nulla fieri potest sensatio. Quam
ob rem partes illes quibus, nervi non
sunt sensus est nullus. Quid plura?
nulla esse potest imaginatio, vel recor-
datio nulla denique sine cerebro illius

rei cogitatio, vel Cognitio; cum desumpti ide-
is, quę cęterarum fundamenta sunt
cognitionum, cogitatio omnis è medio
tollatur, necesse sit. At nulla est idea
quin ex antecedente pendeat viso. Quid
quod quatuor illa in bellüis locum
habent, quibus substantia est nulla in-
corporea: vegetant enim, ut homines,
animalia; dolore, ac voluptate moven-
tur, sensibusq. pariter utuntur,
ut homines; imaginatio prȩterea illis
est, ac memoria; noxia item saluta-
ria q. sibi inter-noscunt: artes tandem
et stratagemata ut se tueantur, aliaq.
decipiant animalia, imo ipsos interdum
homines adhibent. quod si ita est, qui
homines funtiones nequeant istas sine
ulius spiritalis substantię ope prestare,
quas pecora, in quibus incorporeum
nihil est exequi animadvertimus?

Addendum, pergunt, huc est, quem vos magni facitis, cujus vobis sententia cordi est, Augustinus, qui epistola ejus „decima tertia, ait, „quod nec intelligi, nec „sentiri potest temerariam nimis, atq. „nugatoriam opinionem gignit.„ Incorporeum autem quis unquam potuit intelligere? sentire profecto nemo. Praeterea quisnam punctum aliquod capiat geometricum (cui comparari certe mens posset, nisi esset corporea) illas humano in corpore actiones edere, quae animis hominum tribuuntur. Vienenses addite Patres, qui humanam definiere animam substantialem esse humani corporis formam. Ex Aristotelis autem doctrinam conficitur, nihil incorporeum in materia recipi potest; ob id quia substantialis quaelibet forma est stagirite ultima materiae perfectio, quam

barbaro Ethelechiæ vocabulo indicat.
Anima igitur hominis non est incorporea; cum nequeat corporis illud esse perfectio, quod non sit re vera corporeum.

Nonnulla vero argumenta in animæ nostræ immortalitatem afferantur in medium: Omnia namque deinceps enerbabuntur et recidentur. Quædam igitur ex Lucretio, desumpta sunt iisque versibus continentur.

Preterea gigni pariter cum corpore et una
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem
Nam velut infirmo pueri, teneroque vagantur
Corpore, sic animi sequitur sententia tenbis.
Inde ubi robustis adolebit viribus ætas,
Concilium quoque majus et auctior est animi vis
Post ubi jam validis quassatum est viribus ævi
Corpus, et obtusis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat linguaque mensque,

Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt.
Ergo dissolvi quoque convenit omnem animai
Naturam ceu fumus in altas aeris auras.
Huc accedit uti videamus, corpus ut ipsum
Suscipere immanes morbos durumque dolorem;
Sic animum curas egras, luctumque metumque.
Quare participem lete quoque convenit esse
Et quoniam mentem sanarē corpus ut egrum
Cernimus, et flecti medicinā posse videmus,
Id quoque presagit mortalem vivere mentem
His aliisque consimilibus argumentis Epicu-
reus homo a versu 418. ad vers. 842. men-
tes oriri nostras, et interire conatur
ostendere.

Preterea si animus, inquiunt,
immortalis esset; qui doleret egre quē
terret, a Corpore, quod animat discede-
re? Letari potius deberet quam dolore
ullo afici, vel molestia. Et nobelli
quidem Epicurei sic disputant: pos-

tremumq. nobis objiciunt argumentum Tota hominis vis animi quatuor illis constat, teneturq. facultatibus inter filosofos longe tritissimis, vegetatione, sensu, imaginatione, intelligentia ut ante expositum est, Omnes autem actiones ejusmodi, pereunte corpore, pereant quoque ipse necese est, quia nulla ut ante quoq. confecimus, sine corpore exercitur. Hoc igitur disoluto, vis mentis humane tota cesat et actio. Hec Epicureorum nepotes.

Sociniani autem negant doctrinam de mentis nostrę incorporalitate et immortalitate in sacris scripturis haberi quin imo his eam adversarii Epitagorica q. et Platonis filosofia Christiana in Ecclesia manasse contendunt. Nam inquiunt in toto Moysis Pentateuco nihil hoc de dogmate ne vola quidem

reperitur. Quin etiam oppositum inibi passim est reperire. Hominis enim corpori, ex argilla conflato, vitam Deus inspirat quam nepheschhhajach, nischmat, hhajim passim Hebrei vocant: quę sane vocabula halitum, flatum, respirationem significare, hebraici omnes interpretes testes sunt. Nihil ergo incorporeum Deus humano corpori, cum illi animam inseruit inspiravit. Quamquam quis de hoc dubitet, pergunt homines, cum voces illę ipsę ad brutas significandas animas ipso in libro Genesis adhibeantur, quas esse corporeas, mille locis scripta omnia sacra nos docent; de his animabus similiter ut de humanis, sermonem instituunt. Si enim cum hominibus Deus pactum fecit, ipsum et cum belluis icit. Vitae hominis rationem tam de ipsius hominis, quam de bruti animalis manu amissę seu ademptę, requirit.

Sed quid progrediuntur, immo ramur? rem totam Salomon hice

verbis palam facit. Sic enim in eo, qui Ecclesiastes inscribitur, libro tertio capite
„concionatur „Dixi in corde meo, de filiis
„hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet, similes esse bestiis: idcirco unus
„interitus est hominum et jumentorum
„et aequa utriusque conditio. Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur: similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius: cuncta subjacent
„vanitati, et omnia pergunt ad unum
„locum: De terra facta sunt, et in terram
„pariter revertuntur. Quis novit, si
„spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et spiritus jumentorum descendat
deorsum? Haec hominum sapientissimus.
„Deinde formavit Deus hominem pulverem
„ex terra, ait Genesis; nam sic legendum
Sociniani contendunt; non vero ex pulvere terrę, ut vulgo loquitur: propterea

quod Hebraica prepositio <u>min</u> non pulveri,
sed terre, ~~ut vulgo legitur~~ preposita est.
Adamo preterea post peccatum nulla
anime mentione facta sic Deus mina-
tur: <u>pulvis es, et in pulverem reverteris.</u>
Nihil igitur ex Scripturis habetur quo
hominem plus quam pulverem, hoc est cor-
pus esse ostendatur.

Illud tandem Pauli objiciunt ad
Corinthios prima epistola c. 15 inquientis:
si enim in hac tantum vita speramus in
Christum, miserrimi omnium hominum
sumus; si non est resurrectio edamus
et vivamus, cras moriemur. Quibus ex ver-
bis sic argumentantur, ut animarum
immortalitatis dogma nostrorum re-
surrectionis corporum necessitatem tolle-
rent, dicant. Quid enim ajunt attinet,
resurgere corpora, cum animae esse
perseverent, ideoque beari possint, etiam

si nullo unitae corpori existant. Quae omnia ad argumenta respondeo. Et primo quidem animae corporisque concensus neutiquam suadere illam esse corpoream. Voluit nempe Deus hominem corpore ac mente constare: quapropter biceps mortuus existeret, mixam inter utramque substantiam intercedere fecit convenientiam: sic, ut et totius animi totum corpus, et singularum illius facultatum singula corporis membra instrumenta essent. sic nutritioni et vegetationi canales inserviunt, in quibus fluida preparentur, et per quos huc, et illuc valeant permeare: autem doloris voluptatisque corporeę sensationi: pars preterea corporis illa quam vocari scitis diafragma, dolori animi, et voluptati: occuli deinde, aures, nasum, caeteri tandem sensus externi perceptionibus sensibilibus: cerebrum postremo imaginationi, memoriae, ratiotinationi,

omniumque generum cogitationi. Ut vero hominis unitas consisteret sic animam oportuit constituere ut nulla posset, quoad corpus animare, facultate uti, sine corporis instrumento. Quo circa laesis corporis organis, nequit vis mentis exerceri.

Quod ad pecudes attinet hae nullam habent rationem, intelligentiam ve, sive ut ajunt intellectum: hic enim abstractarum est idearum percipiendarum vis; ratio autem generalium cognitio veritatum. Nullius autem animus belluae aut abstractas percipere ideas potest, aut generales attingere veritates: quamobrem nec intelligentia pollet, sed sentiendi tantum, et imaginandi facultatibus; nec ratione.

Quid, quod percipiunt, quidem pecora, nusquam modo cognoscunt, singularia nimirum et sensibilia, affectionibusque obnoxia sunt, et subjecta? at eorum animi

corporati non sunt; cum nulli prorsus -
corpori quidpiam percipere datum sit dari
ve possit. Quamvis ergo bellua cognoscat,
non omnino corporea est, sed partim -
plusquam corporea: tametsi spiritalis nec
sit, nec valeat appellari, propterea quia
et intelligentiae et rationis est expers.

Ad lepidum illud Geometrico depromp
to respondet libro de animę quantitate Bea
tissimus Ecclesię Pater Doctorque eximius
Augustinus ut ipse assolet peregregie:
Menti quidem suae sunt facultates, è qui
bus perspicue infertur illam existere; -
quod si omni remoto corpore, nihil de ea
videmur percipere; id phantasię vitio ver
titur, incorporea sine corporea molle des
cribere non potenti; cum tamen quę
sunt spiritalia, ea non imaginari debe-
ant, sed intelligi: hoc est, non visis, spec
trisve corporeis depingi, sed ideis, quarum

nomine non quaeris intelligitur, ut sciti,
perceptio; sed ea solummodo, quam puram
vocant intellectionem. Preterea quaedam
est animi extensio, non illa quidem, quę
propria est corpori, non molis inquam,
sed facultatis. Toti namque corpori vitali
animae virtus adest, ad totumque pertinet
corpus, sic ut nec eo sit amplior, nec an-
gustior. Haec quidem Augustinus sunt.
sed respondere pergamus Epicureis.

Vocabulum ergo illud, seu vocabula
forma substantialis duplicem habere potest
intellectum: aut sic, ut Entelechia corpo-
ris eo sit sensu, quo Aristoteles locutus
est, Dicaearchus et alii; vel ita, ut formis,
quas vocant assistentes, opponatur. E-
consilii autem Bienensis historia posterio-
re constat intellectu formae substantialis
vocabula ibidem accepta: ut adversum
illis iretur, qui mentes nostras non infor-

mantes sed assistentes tantum, formas esse humanorum corporum vulgare obceperant. Spiritus, Sanctus ait Thomas, possunt alligari corpori vel per modum formæ, sicut anima corpori humano aligatur, ut det ei vitam; vel etiam absque hoc, quod sit ejus forma, sicut Necromantici virtute Dæmonum spiritus alligantur imaginibus. (lib 4. Cont. G. c. 9) Nam quo tempore summus Ecclesiae Pontifex Clemens Quintus Biennensem indixit Synodum fuere nonnulli, qui docerent, non aliter nostros uti corporibus animos atque Demones illis utuntur, quae occident. Et hoc quidem Vienenses Patres condemnavere.

Ad reliqua Epicureorum argumenta perfacile eos legibus unionis mentis et corporis secundum quas mens ipsa cogitat juxta motiones cerebri et sensuum respon-

detur. Ex eo enim, quod juxta cerebri sensuumque motiones mens afficiatur humana corpoream illam esse non fit; sed ita factam, ut requeat, donec animat corpus, aliusmodi cogitare, nisi antecedentibus nervorum impressionibus, spectrisque corporeis simulacris et visis, sic maenium, sive arcis vigiles, quibus illorum custodia incumbit, nec maenia ipsa sunt, nec arx; licet nec à maenibus, nec ab arce, Imperatoris injussu discedere valeant. Sic homines, ad pristinum damnatoi, nemo dicat illas esse machinas ipsas, quę perinde, quasi belluae essent, volvunt.

Timeat praeterea mens, doleat, et tristetur, a corpore dispesura: id equidem fateor accidere, saltem plerumque seu in plerorumque hominum obitu: sed hoc tamen efficit, aut aeternę vitae proxime. quę infelior sibi, aut infelior

futura est cognitio. Aut caducorum mundi huyus bonorum amissio, quae cum nimis amaret, dolet, amittere. Quemdam ego legi Neapoli paucis ab hinc annis hominem extitisse diuturno carceri mancipatum, qui libertate a Rege donatus aegrè, quod permirum est tulit; atque ultro ipso in carcere vitam finire constituit. Sed Paulum respicite, illum inquam, Paulum, quem vas verus electionis ut suum quocumq. nomen cognoscendum, et celebrandum defferret formavit; aliorq. Christiane religionis heroes: quos de ridiculi hummotiones isti rogent, an mori formidare, vel potius dissolvi cuperent, Christumque dominum adire visuri. Hoc, auditores mei, hoc inde nascebatur, quod terrena pre aeternis bonis nihili, floci Paulus ducebat, et coeteri, Paulo persimiles. Neque quaeram, invitené,

an lubentes animae nostrae corpora ingrediantur: ne-
utrum enim accidit, cum animae ante sua
corpora non existant; atque adeo nec ipsa
lethenque manentes ingredi possunt.

Quod ad Socinianos spectat, illud
eorum argumentum, quod in veteris Testa-
menti silentio constituunt, non magis pro-
bat mentes nostras materiales, ut ita dicam,
esse mortalitatis subjectas; quam ejusdem
silentium in divinae incorporalitatis Deum
esse corporeum. Quemadmodum ergo ex eo,
quod hac de re veteres tacebant scripturae
nemo sanus Deum esse dicat, inferat se
corporeum; sic nec hominum animas con
poreos aut mortales, propterea quia incorpo-
reos esse scripta illa taceant, et morta
litatis immunes. Nihil certe mirum
est, si veteres scriptores illi ita de homine
sint locuti, quasi esset omnino corporeus,
omniq. ex parte mortalis; cum vel ipso Deo,

tamquam de Corporata re quadam verba facere videantur. Hoc etenim Hebreorum rusticitati indulgeri debet, qui sic bardi erant, et hebetes, ut, nisi corpora, nihil intelligere possent. Itaque nihil ex veterum Scripturarum taciturnitate adversus horum animos exurere possunt Sociniani. Iam illud ego hac in re fateor libenter, Moisen non ita perspicue altera de vita Hebreos suis in legibus monuisse, ut nos in Evangelica a Christo per Ecclesiam docti sumus Catholicam. Sed id tamem propterea factum judicat Augustinus, quod Deus hujus voluisset explicationem dogmatis Christo Domino reservare. Neque vero Deus, quod iterum, ac saepius monere, omnia hominibus simul ostendit, sed suis quaeque praedefinitis temporibus, quemadmodum ipsa Testis est Scriptura.

Ad Salomonis locum venimus, qui non ita est intelligendus, quasi nullo modo

homo cum belluis discrepet. Quandoquidem ipse Salomon hominem multo esse brutis animalibus prestabiliorem, doceat saepe. Id autem sibi volunt illa Ecclesiastae verba nos ortu, vitaque animali, et corporis interitu belluis esse consimiles: quodque ad Corpus attinet, esse nos, ut belluas è terra conflatos, et ipsam in terram iterum abituros. Illud pre terea, quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et spiritus jumentorum descendat deorsum; rationem naturalem spectat: putat enim Salomon, et innuit, e non posse homines perspicue distincteque cognoscere discrimen mortalitatis animarum brutarum, et mentium immortalitatis nostrarum.

Quid, quod Doctor Angelicus, sanctusque Gregorius Magnus, aliique, Salomonem ex impiorum persona hominum hic loqui asserunt? quamquam scripturae ut quidam putant contextus huicce opini oni

refragari videtur. Sunt etiam, qui verba illa eo putent consilio a Salomone dicta ut innueret se dum esset juvenis eo modo putasse: quod item non patitur, ut multi, et docti quidem rentur, rerum ordo, quę illo in libro narrantur. Quam ergo responsionem velitis, eam licet arripiatis. Ad Pauli deinde auctoritatem post Beatum Chrisostomum sic nonnulli respondent Theologi: cum Apostolus sciret, plenam, et integram, ut sic dixerim, beatitudinem nemini ante corporum resurrectione contingere: id circo eum scripsisse, inanes esse justorum omnium labores nisi tandem aliquando ipsorum futura esset corporum resurrectio. Quid vero attineat corpora in vitam redire, cum mentes sint immortales, qui inscrutabilia Dei juditia, quę Abissus multa sunt valeat intelligere. Quis est enim homo miserrimus ut Dei possit aeternas rationes, finesque

vestigare? suç igitur homo ipse exili-
tatis, et tenuitatis meminerint infinite
ab infinita Dei, et interminata deficiens
magnitudine: quçque dilucide, in divinis
habētur scriptis, illis asentiatur firmis-
sime, tametsi, cur illa ita sint, nesciat.
Atq.e hominum animos incorporeos pate-
feci, cum nec extentionis, nec soliditatis,
nec inertiç, nec cçterorum denique, quç
ad Corpus spectant, atributorum partici-
pes sint; et plus, quam incorporeos nimi-
rum spirituales, quoniam intelligentia
pollent, et libertate. Verum de mentis
nostrç natura satis dictum.

Quod sequitur, id de ipsius origine
fore promisimus: qua de re Maximus Ecle-
siç Doctor Hieronymus, epistola ad Mar-
celinum paucis per multa complectitur,
quç sequuntur. ~~Sam~~ per animç inquit, statim

memini vestrae questiunculae, imo maxime Ecclesiastice questionis, utrum lapsa de Coelo sit, ut Pythagoras Philosofus, omnes Platonicis, et Origenes putant; an ex propia Dei substantia, ut Stoyci, Manicheus, Hispana, Priscilliani Haeresis suspicatur; an in Thesauro habeantur Dei olim condite, ut quidam Ecclesiastici stulta persuatione confidunt; an quotidie a Deo fiant et imitantur in corpora; an ex traduce ut Tertulianus, Apolinaris, et maxima pars Occidentalium censent. Ad quinque igitur, ut cernitis claves eas refert Hyeronimus opiniones, que suo quidem tempore de humanarum mentium origine ferebantur, quarum prima nihil à tertia difert opinor. Nunc autem quarta solum vulgata est, publiceque suscepta, scilicet a Deo quotidie mentes hominum fieri,

in hominumq. corpora immitti. Unum tandem vos moneam, Magnum videlicet Augustinus, et si longe de animae origine disserat, atque in quintam propendere opinionem videatur; pluximis tamen demonstrare rationibus nihil certè hac in re scivi, nec divina revelatione, nec ulla naturae ratione. Itaque vir eximius dubitanter de origine mentis nostrae locutus est semper. Videtes, dum vacet, meam brutis de animabus oratiunculam, ubi nonnulla ad humanarum mentium historiam attinentia, me memini dictavisse.

Jam vero nunc mens humana semper cogitet, an interrupte dumtaxat; huiusce tempestatis philosophis relis, ut ajunt, et equis secum decertant. Cartesius nam que cum humanae mentis natura, et

essentia, cogitatio ipsa esse videtur, pro cogitagitationis perennitate propugnat: quem non Malebranchius modo, Silvanus Regis, cæterique Cartesiani, verum etiam Leibnitius, et Wolffius sunt secuti. Contra Scholastici, Lokianique omnes sic existimant, ut mens quidem nostra, cogitare semper possit; ac interdum tamen cogitationem pœnitus nullam eliciat: quin imo eos omnes insimulant Fanatismi, qui rem, qui substantiam cogitantem, intelligentemve concipere nequeunt, cogitatione ac intellectione multatam. Hi vero rem ejusmodi â cogitatione cessare, simulque incorporea spiritalique natura pollere, pugnantia loqui esse contendunt; neq. illud Scholasticorum, Lokianorumque dogma Philosoforum multo esse â Dicearchi Epicuri, Hobbetiiq. senentia disjunctum.

Ego autem licet mentis naturam

in actuali, ut dicitur, cogitatione ita consti-
tutam tueri non ausim, ut nullatenus esse
illa, vel concipi, nisi actu cogitari possit:
tamen continenter ipsam percipere dico,
nec aliter ex naturæ rationibus, quantum
assequor, cuipiam philosofari licere. Non
enim mea filosofi illud interest explicare,
an Deus, ne mens intelligat prohibens, eam
simul valeat conservare; sed utrum
hoc naturæ sit legibus comparatum, ut
mens interdum percipere supersedeat,
an, ut numquam cogitare desistat. Et
hoc quidem postremum, ut proxime expo-
sui, vero arbitror proximum.

Sic autem mei rationem sen-
sus vobis me probaturum spero, ut
non sermonis prolixitate, ut forte alias
gravemini: ego certe quidem cupio. Ergo
mens vivit abs dubio idque perpetuo. Co-
gitat igitur continenter. Cujus namque

vita actio est, quę aut corporea sit motio, aut cogitatio, necesse est; quoniam alterius generis actionem novimus nullam: non est autem humanarum vita mentium, ut patet, motio corporea; cum id solorum sit proprium corporum. Est illa igitur actio alia motione omni corporea prestabilior, videlicet cogitatio. Atqui mentium hominum ipsa vivit interrupte, ut nullum temporis pretereat punctum, ex quo esse incipit, et Corpori annectitur, in quo vita non fungatur, quę suę sit naturę conformis. Haec autem vita, ut diximus, et confecimus cogitatio est. Numquam igitur non cogitat mens humana.

Atque vitam prorsus omnem in actione esse aliqua constitutam, quę, donec vita sit, perseveret; nullus est, qui dubitet, philosophorum. Omnia, velim, vitae genera ratione, animoq. lustrentur. Plantę igitur

vivunt: nec ullum est animal vita multa-
tum: hocce insuper munere donatus est ho-
mo: Geniis preterea, Angelis videlicet, ac
Demonibus vitam esse cognoscimus: Deum
tandem vivere, vitamque viventibus rebus
omnibus elargiri, natura ducente, perspi-
cimus. Bene habet, quod omnia vitę genera
exposuerimus. Age vero quousque plantas
vivere intelligimus, quousque eis vitam esse
concedimus? certè quoad vis earum illa,
quę dicitur Plastica, quęcumque sit ipsarum
meatus pervadendo, easdem nutrit, animat,
reficit. Statim autem, atque actio ejusmodi
imbecilla redditur, aegram dicimus plan-
tam; mortuam vero, si vis illa ipsa actio-
nem amittat. Quousque vita tribuitur ani-
mali? profecto donec et vi plastica illa ipsa,
et sentiendi facultate perfruitur; atque
motu illo cietur, qui dicitur spontaneus.
Quibus quidem agere desinentibus viribus,

vitam animalia cum morte commutare putamus. Nobis praeterea, quibus triplex congruit vitae genus, vegetativae, ut ajunt, sensitivae, et rationalis tandem vita conceditur, quoad hisce utimur facultatibus. Nihil autem de Geniis dicam; nihil de Deo; quippe quibus vita nihil est aliud à cogitatione distinctum. Atque adeo cum semper vita polleant, numquam cogitare desistunt. Omnes ergo vitae, quamtum vis inter se discrepent in eo sibi sunt similes, quod perenni quadam in actione quam Graeci vocant ενεργειαν, quaeque ipsis viventibus est intrinseca positae sint: interrupta vero et vita cessat, et subsequitur mors.

Quid, quod pariter de his, quae tam late vivere dicimus, idipsum intelligi ab omnibus cum indoctis, tum doctis, res est notissimis notior? Quaenam enim viva dicitur aqua? quandiu vivum habere dici-

tur

tur ignis? certè hæc tandiu viva esse dicuntur, quandiu suarum viget particularum motio: quamobrem si qua reperiuntur, quibus vita sit, donec perpetuæ aliquius actionis nobis præbeant, ut ova, vel semina; intrinsecus tamen quodammodo commoventur, licet internam seminum et ovorum motionem sensus nullus attingat? Quid, quod si modo cogitavit mens, modo desinet cogitare; jam exit, jam esse desistet: ut toties ex nihilo oriri debeat aut occidere in nihilum, quoties inteligat aut intelligere supersedeat? quid? an cum neve percipit mens, neve judicat, neve ratiocinatur, aut dubitat, vel meditatur, aut sentit, aut vult, aut vivit; consistat? nihil profecto. Cum ergo desinit cogitare, quoniam voluntas et vita ejus sine cogitatione non sunt; nec vult, nec vivit. At sine vita, mens esse qui possit? Mens igitur

ablata cogitatione, periret pariter, cum nihil
a nihilo fiat ut iterum ea cogitaret, ac vellet;
novum ipsam a Deo creari oporteret: atque
adeo nunc esset mens nunc esse desineret;
quoniam modo cogitaret, modo à cogitando
cessaret. Quibus ex omnibus id mihi videor
satis probabiliter ostendisse, hominum ani-
mos, dum corporibus annexi sunt, peren-
niter cogitare: tametsi nescio, nunc per
petua ejusmodi cogitatio ita ipsarum sit pro
pria mentium, ut harum essentia ipsa in
cogitatione sit posita. Quin imo mentis na
tura non in cogitatione sed in cogitandi vir
tute constituta mihi esse videtur: quin vide
am, cur id cum perpetua ipsius mentis cogi
tatione stare non possit. Quid? corporis esen
tia nonne in eficiencia, alisq. viribus
et facultatibus posita est; quin corpus ullum
ipsarum exertitio facultatum carere va
leat naturaliter? corpus provius est

nullum; quin agat, aut motu scilicet, aut conatu. Utrumque actio profecto est. Ut ergo ab agendo corpus prorsus nullum desistit, quin ipsius natura ipsa in actione consistat; sic pariter de mente philosofandum.

Objiciuntur autem aliqua, quae sic se habent. Quae doctrina intimo sensui adversatur, est vero dissimilis. Doctrina autem de perenni humanae mentis cogitatione intimo sensui adversa est. Est igitur vero dissimilis. Minorem approbant ad hunc modum. Intimo quisque sensu docetur, sibi cogitationem deesse dormienti. Doctrina ergo, quae mentem perpetuo cogitare constituit, intimo sensui refragatur. Assumptionem iterum nituntur ostendere. Nam nemo, inquiunt, est, qui ea recordetur, quae alto in somno cogitarit. Nullam igitur illus eo tempore quo captus somno est elicit

cognitionem. Non ergo interrupta est humanae mentis cognitio.

Praeterea quicumque cogitat, vigilat: est namque cogitationis status, ut nemo non cernit, non dormientis, sed vigiliae constitutio. Quis enim dormire unquam potuit, dum ejus animum perpetua aliqua cogitatio vexaret? Hoc certe experimur omnes ad unum, ut somnum, interea dum cogitatione aliqua perpetua afficimur, inire nequeamus. Non est igitur interrupta humanarum mentium cogitatio, quando quidem constat, vigiliam somno turbari.

Propositum urget Lokius, cui ea persona est eadem, quae eamdem habet cogitationum conscientiam. Quo quidem constituto duas esse cuique homini personas ex illa sequi sententia putat, cui assentimur, unam dormienti, alteram vigilanti: cum alia sit homini dum vigilat

cogitationum conscientia; alia dum capitur somno. Atqui referre duas homo ipse nequit personas. Nec quit igitur cogitare perpetuo. Non est ergo mentis cogitatio perennis.

Deesse adjunt, menti, cum primum adnectitur corpori cogitationem: atque adeo tum saltem in Cogitatione non esse. Eo enim tempore instar rasae inquiunt, habenda est tabullae, formam referentis nullam, nulliusve rei descriptam habentis imaginem. Hoc et Aristoteles reliquorum omnium facile princeps philosoforum, et horum plerique, et vosmetipsi cogimini fateri. Namque unde mens dum Corpus ingreditur, cogitationum materiem petat, et hauriat? Profecto nihil unde repetat, habet. Non ergo tunc cogitat, quippe quae cogitandi materie eo tempore careat, nec semper igitur

cogitabit.

Solius tandem Dei esse, semper intelligere, Scholastici omnes sanctum secuti Thomam, nobis objiciunt. Huicce enim sancto Ecclesie Doctori intellectus humanus non semper est in actu, sed divinus solummodo. (prim. p. q. 79. art. 2) Textum quidem esse, ipsiusq. doctoris doctrinae articulum nihil deduci de potentia in actu, nisi per aliquod ens actu; (ibid. art. 3) At facilem tamen aditum patere ad intellectum agentem, qui mentem nostram ab incogitantie ad cogitationis traducat statum. Quibus effectum esse putant, non modo à veritate remotam nostri esse sententiam; verum etiam fanatismo proximam, Deoq. valde injuriosam. O pulchra scilicet, atq. si placet superis verissima!

Jam tria argumento primo responsa sunt, et singula, ut pateat illico

vero simillima: primum Malebranchii, alterum Wolffii, nostri postremum. Principio ergo non eas quidem recordamur cogitationes, quas dormientes effeceramus: sed eas tamen effecimus dormientes. Erat tum enim nobis animus, erat et vivus: ejus autem vita cogitatio est. Tunc igitur cogitabat. Quid ergo est causae, cur eorum oblibiscamur, quae somni tempore cogitarimus? nempe animalium spirituum torpor, fibrarumque cerebri, in causa est, ne quas dormientes elicuimus ideas, eae vivida nulla in cerebro vestigia reliquerint, ut earum deinde recordari possemus. Gravis quidem responsio, quam esse dixit Malebranchianam.

Sed Wolffium audire juvat, qui illum propterea evenire respondet, quod plerique cogitationum, quae eliciuntur in somno, obscuritate, et confusione laborent:

rent; contra atque illae, quae in vigilia fiunt, quibus esse solet et claritas, et distinctio, aut certe non ita, ut illae aliae, obscurae sunt aut confusae: Mens autem nostra, quae illis semper cogitationibus rapitur, quae majori sunt praeditae claritate, aut majore donatae sunt distinctione, à confusis obscurisque somni ideis ad claras, distinctasque vigiliae transiens ideas; his totam, illis nullam, aut fere nullam praebet atentionem: ex quo illarum oblivio proficiscitur. Praeclara quidem ratio!

Falsum tamen est, ut nos, qui eo ordine sequimur tandem aliquando respondeamus; nihil, inquam, est falsitati vicinius, quam, numquam eorum meminisse nos, quae dormientes cogitaramus. Hoc, hoc certe illud est, quod naturae, quod experienciae, quae intimae uniuscujusque conscientiae contradicit:

dicit; non illud autem adversariorum.
Quam enim saepe, Deus bone! earum ego
cogitationum memini, quas interea, dum
dormirem, elicueram: quae, ob id, quia ali-
quando distinctiones, clarionesque fuerint, al-
tiora cerebro impressere vestigia. Quoties
insuper in somno evenit, ut subtiliorem
se quisque filosofum gerat, vel geometram,
quam interea, dum vigilans est! quoties
tandem, quos solvere nequimus dificulta-
tum, modos vigilantes, abrumpimus dor-
mientes! nihil ergo falsius, quam quod
somnus impediat, quo minus cogitemus.

Qua propter nihil est, quod gravissimis
hisce rationibus adjiciamus, ut secundum fun-
ditus corruat argumentum. Possumus namque
ut perfectum est cogitare dormientes; nec
pugna cum cogitatione dormitio. Quis enim
hoc eat inficias modo talis sit, ut et dormire
soleat, et cogitare?[2] Somniat plerumque

abstracta sua dogmata Methafisicus, somniat prolixas suas demonstrationes Geometra: somniat quisque denique, in quibus maxima ex parte versatur. Atque non mirari sane non possum, id ab illis negari philosophis, qui et ea, quæ de pura materiæ potentia, et his finitima pluxima mihi somniare videntur. Experientia igitur, sensus noster intimus, omnium consensus hominum, nos, cum dormimus cogitare confirmant. Dormine namque non est certe, a cogitatione desistere; sed claras, sed distinctas, seu clariores, distinctionesq. cogitationes habere cessare: idque propterea, quod torpentibus cerebri fibris, torpente insuper sanguine, externisq. sensibus sopitis; non ita fortiter nervosa irritatur, ac pungitur tela, ut eo tempore, quo vigilamus, commovetur, irritatur, et pungitur. Sint utiq. cogitationes quædam sic molestae, ita tenaces,

ut somnum abrumpant, vel impediant ali-
quando. Sint profecto; non tamen propterea
menti deerit dormientis hominis cogitatio:
nam id accidit, cum vehementiores sunt ideæ,
validiusq. commovent cerebrum. Ex quibus
effectum esse puto, non quicumq. cogitat, eum
vigilare; quando quidem et si dormiat, nihil
obstat quominus cogitationes elicit aliquas-
piam.

Quod ad pulchelam Lokii definitionem
personę attineat, si hęc esset in conscientię
ut ita dicam, identitate reposita; recte qui-
dem philosofaretur: atq. adeo duas homo-
unus personas referret, aliam vigilans,
dormiens aliam. Sed tam est absurdum,
hominem non unam esse eandem quę
personam propter conscientię diversita-
tem; quam propterea, quod scena jam
Regem agat, jam vilem aliquem homun
tionem. Est itaque persona, ut ex gene
rali nostra intellexeritis Methafisica,

omniumque, si Lokianos eos emeritis, philosophorum mente firmatur individuum rationis particeps. Non igitur, seu dormiamus, seu vigilemus, eandem personam referimus; licet alio quidem dormientes, vigilantes alio cogitemus. Variat itaque cogitatio; non ea tamen res, quæ cogitat variat, sic nempe, ut alia persona reddatur, propterea quia aliter cogitat quo nihil dici absurdius posse judico.

Sed unde, quæ sunt menti suppetunt ideæ, haurimne materiem, cum primum corpus ingreditur? quasi vero, qui perpetuam mentis cogitationem ex mentis ejusdem natura confecit; unde illa materiam repetat cogitandi, teneatur ostendere: aut illud minus esse valeat verum, aut simile vero, quod hujus rationem reddere nesciamus. Sunt ergo, qui ex unione cum corpore materiem illam peti debere

putent, viri quidem de philosofi optime me-
riti: id, quod dico veri persimile. Quam-
quam, si, quod sentiam, fateor, (fateor
autem libentissime) nescio, nec prorsus latet,
unde materiem hauriat cogitandi mens no-
stra, eo ipso statu inspecta: sed eo ejus natura
colligitur eo in statu ipso vivere, atque ideo
cogitare, undecumque materies sibi suppe-
tat cogitandi. Illud praeterea libere respon-
dere potestis, quod proxime dixi, ab oppi-
midis respondere philosofis, si forte vos pu-
deat, id fateri vos nescire, quod re vera ne-
scitis: hoc enim hominibus plerumque contingit.

Ad illud tandem scholasticorum
devenio, solius esse Divinae mentis cogitare
perpetuo, quod opinor falsum est. Bea-
tus Thomas negat quidem, hominis intel-
ligentiam agere interrupte, quod uni
Deo propium esse contendit. Ita certe
quidem esse concedo: id est, sic Thomam

"

sensisse Beatissimum; ac statuens ille ipse nihil à potentia in actum traduci, nisi entis ope alicujus in actu; intellectum agentem id præstare affirmat. Nam nisi intellectus ejusmodi in actu semper esse ponatur; ad alium confugere oportet, qui in actu perpetuo sit; aut nisi hic sit ejusmodi ac alium, qui semper in actu sit positum, vel ad ipsam usque progredi infinitatem. Ex quo fit, ut, cum agens ille ipse intellectus à mente distinctus Angelici sententia Doctoris non sit; aut præclarus ipse Doctor sibi metipsi adversetur, quod non est credibile; aut à nobis stitisse, mentemq. humanam perpetuo cogitare sensisse.

Sed ad minorum gentium Scholasticos redeo, quibus cum illud certum sit, in spiritalibus, simplicibusq. substantiis agere, et esse, unum idem que

exsistere; nescio sane, qui sententiam
de mentis perenni cogitatione, quam
tuemur valeant opugnare, sed ut
sit, menti est nostrae vita perennis
sibi Deo participata Optimo Maximo,
qui vitae omnis fons est, qui exhauriri
non potest. Vita est menti perpetua? Est
igitur, et continua cogitatio, ab eodem
accepta principio. Quidnam inde in divi-
nam sequitur perfectionem. Cogitat
quidem semper Deus, semper et
Mens hominum cogitat. At Dei
cogitatio et una tantum est, et infini-
ta, et sempiterna, et invariabilis,
et à nullo accepta; contra humana-
rum mentium, caeterorumque spiri-
tuum cogitatio. In quibus et continua
est cogitationum successio, et cogni-
tionum nulla non finita est brevis,
et ipso a Deo participata. Videant

Vigitur, qui a nobis dissentium, ne cum divina humanam mentem propterea confundamus, quia semper cogitare contendimus. Videant insuper ne Dicearchianis, Lucretianis, et Hobbetianis, accedant, dum mentem, quae non cogitet, et tamen mens sit, et vivere, statuunt. Utri Deo Religioni Catholicae magis faveant, Scholasticine, ac Lokiani, an reliqui quorum tenemus partes, judicate. Et mentis

quidem nostrae naturam, et ori-

ginem, ut potui, patefeci; ejus-

dem autem cum corpo-

re societatem, seu

commercium pa-

ucis acci-

pite.

Caput Secundum

de mentis humanę cum corpore connexio.

Atq.e mentem univi corpori, nihil est aliud, q̄ nisi utriusq.e substantię actiones, quoad homo vivit, et incipere, et procedi, ut loquuntur harmonicè, certis quibusdam legibus, quas statim expono. Prima ergo hujusce societatis, amicitię, connextiusq.e lex est, ut quousq.e mens corpus animat, ideam corporeę habeat magnitudinis, earum ocasione motionum, quas externa corpora nostris in sensibus excitant. Ex quo fit, ut omnes nostrę perfectiones cum vitiis conjunctae sint; nec ulla menti possit nostrę cognitio, dum corpori anexa est, quę pura omnino dici valeat intellectio. Secunda, lex est, ut omnis cerebri motio sui similem in animo sentationem excitaret, tam diu perseverantem, quoad motio illa ipsa persistit. Tertia, ut si rursus cieatur in cerebro motio, in illo aliàs excitata, ejusdem recordatio rei excitatur in mente.

Quarta, ut excitatam quamvis in corpore motione illius habitudinem, et ut ita dicam, harmoniam conservante vel perturbante, voluptas in animo, dolorve statim exsistat. Quinta, ut, quæ ideæ sunt voluptati conjunctæ, animam ad ipsarum objecta idearum prosequenda, et amanda, determinent; contrarieve fugienda, vitanda, et odio habenda earum objecta idearum, quae dolori permixtae sunt, hoc est, quas dolor in mente subsequitur. Sexta, ut omnes ideæ, sive ad corpus, sive ad animum spectabunt, sive ad bona denique utriusque, vel mala, motibus conjunctæ sint in cerebro concitatis. Ex quo emergit, ut ad rei notionem terribilis, trepidet corpus; ad notionem vero rei alicujus amabilis, oculi vultusq. rideant. Septima, ut, quamdiu corpori conjunctus est animus, nihil hic valeat cogitare, nisi alicujus occasione motionis in cerebro, aut sensibus excitatæ. Accedit octava, ut scilicet perceptiones clariores, obscuriores ve sint, distinctiores, vel confusiores, prout magis minus ve expediti, profundiq. cerebri motus, et sensuum fuerint.

ac Ordinati.

Quę quidem natura, et conscientiam quisq[ue] suam, puto, docetur. Quis autem ille sit modus, quo mens unita est corpori, et a quo leges, quas ex po- sui, profectę sunt, quęstio sane est, ita difficilis, ac incostricabilis, ut huc illuc opositas in partes, et in numeras traxerit Metthafisicos. Peripateticis namq. anima, qua de loquimur, forma est corporis substan- tiali, quę tota in toto est hominis corpore, in quavis q[ue] ipsius corporis parte similiter tota. Principium - insuper, non vitali modo, sed essentiali corporis. Cor- poreitatis, ut loqui amant, et animalitatis organici corporis forma. Ex quo fit, quod illorum est dogma reciprocum scilicet esse inter utriusq[ue] substantię ac- tiones influxum.

At Plato, ejusq[ue] discipuli hominis mentem ita corpori preesse dixere, quemadmodum navi presidet Plauta, eoque uti, tamquam instrumento: at enon- giam, at vitam, sensumq[ue] corporis ab alia esse- médie inter corpus et mentem naturę substantiam

profectum. Cui quidem sententiæ quodammodo subscripsisse Augustinus videtur, quem de animæ quantitate cap. 31. videre poteris. Recente autem memoriam Gassendus, Chericus, aliique patrocinati sunt, non ignobiles Methaphisicis.

Cartesius assentitur quidem Platoni, non esse mentem formam corporis substantialem, sed soli cerebro preesse, unde spirituum ope animalium motus in corpore cieat omnes, et regat; at nullam tamen inter corpus et mentem intercere substantiam, quæ neque corpus sit, nec mens, vehementer tuetur. Malebranchius, et Regis nullo mentem modo in corpus agere putant; sed cogitationum occasione nostrarum, Deum corpus movere, ē converso tuerique corporis ocasione animum modificari, in quo sitas esse, ac repositas opinantur cogitationes. Hæc quidem opinio, ut est perspicuum, unione inter corpus et mentem commercium abrumpit.

Leibnitius tandem, ac Wolffius nullum commercium inter corpus et mentem verum putant inter

esse comercium, sed in speciem solummodo. Quod,
ut explanem, non ad Deum, ut Malebranchius, et
Regius, sed ad ipsam humanę mentis naturam,
corporisque confugiunt; suumque judicium hac
de re secundum praestabilitam, ut ipsi loquuntur,
harmoniam falsum illud, seu aparens comercium
exponunt. Harmo enim duarum, inquiunt, subs-
tantiarum viribus omnino modi esse aut concipi
posse. Nempe ut altera alteram in substantiam
influant, alteram determinet altera, quod est
influxus Phisici systema. Vel ita, ut ab eadem
causa extrinseca utraque agitetur, ac deter-
minetur substantia repetita et immediata sem-
per actione, quod est Malebranchianum Regium-
que systema. Vel sic denique, ut a causa
extrinseca corpus mobeatur, et animus; sed
inexcedentibus tamen viribus, utrique substan-
tię insitis, quod harmonia est praestabilita.

Exemplum insuper, quo homines unum
tum isti, accipite. Fac, inquiunt, duo esse horo

logia, quæ consonent. Hoc autem tribus tantum
modis obtinebitur. Uno scilicet per influxum: si
nempe feceritis, ut alterum agat in alterum,
idq. vel omnino reciproce, vel ex latere duntaxat
erat alterutro. Hanc ergo consonantiæ perficiendæ
viam, influxum appelant. Secundus autem
est modus; si artificem ipsum operi, id est, horologiis
comitem faciamus, et socium qui dissonantia
interdum, quandoque autem cessatura
ipsa horologia, singulis temporis punctis
accomodet inter ipsa, alterum ex altero regens
ac dirigens, ut a consonando non cessent. Quæ
quidem via, vel modus assistenciae, inquiunt
appeletur. Reliquus tertius est modus, qui adhuc dubio
habebitur, si satis absolutas feceritis, accuratas q. utriusque
machinas horologii; sic ut singulæ suas leges omnes
deinceps sequantur, idq. cum averitis, ut rotæ
rotis, axes axibus, caeteris denique caeteræ omnino
a primo responderint partes. Ita certe, cum utræque
machina easdem perpetuo leges observent, et semel

harmonice factas, semel consonantes, semel inter ipsas convenientes; fiet, ut numquam à consonantia disci ant. Quod quidem partium, seu nudam praestabilitam vocabunt harmoniam, hoc est, partium quarundam consensum, prius, quam conjunctae essent partes, aut saltem, statim, atque conjunctae esse coeperunt, constitutum.

Est enim apud illos quidem philosophos mens humana sic a Deo condita, ut sua vi naturae sine illius externae causae subsidio, suas omnes et perceptiones continuas sibi ceu producat: pariter corpus ita sua met natura comparatum, ut per se ex motus legibus, citra ullam mentis operam, suas prorsus omnes per ferat quoque serie motiones efficeat. Quamobrem licet nullum, ait Wolffius, corpus esset, eadem quidem serie omnes suas cogitationes, appetitiones qui, quas nunc habet, et elicit sibi mens posse eli cere; et omni pariter mente sublata mentes in quam humanum corpus illa ipsa serie motus suos omnes efficere. Sententiam habetis philosophorum

de mentis humanæ societate cum corpore; quæ quæ vera sit, Deus sciverit: omnes certe incertæ sunt. Et peripatetica quidem ad sua tuenda deliramenta abutitur fantasia: philosophis arridet Platonica generosis: mechanicis Chartesiana: Malebranquiana fanaticis: idealistis Leibnitiana.

Sententiam ergo meam expono, quæ si videbet, ut mens mihi videatur humana rerum corpore, donec vita est homini, habere connexionem; non illud in speciem tantum, atque mentitum. Esse, credo, ipsam humani corporis formam, propterea, quod, illi vitam impertit: quo autem pacto id præstet, ignoro. At retinu tamen hæc praestantia a christianis filosofis vocabula: anima et forma corporeitatis de esse corpori: unam efficit cum corpore substantiam: ex ipsa, et corpore fit unum magis unum, quam ex forma ignis, et igne; quia quando forma magis vincit materiam, tanto ex ea, et materia, magis efficitur unum. Est denique Entelechia, et primus corporis

quę sanè omnia etsi retro actis temporibus rationi-
consona visa sint, nostris tamen sunt absona et
suspiciosa, atq. hujusce tempestatis heretici quodam-
modo, arbitror connnivientia.

C.Var., qui hominis mentem actum esse
ait, vim, principium essendi substantiale corporis,
qui cum efficitur unum simpliciter corpus; qui-
qui cum efficitur unum simpliciter corpus; qui hominis
corporeitatis formam animum esse hominis ac-
cerverat, non certe video, quid à Dicaarchianis inter-
sit, quibus anima nostra nihil sit aliud, nisi
totius corporis temperatio, vis, et ultimus actus,
quod homo ipse vivet, quo sentit, quo movetur,
quo alteros denique suos actus exsequitur. Dicaar-
chus enim, Tullio teste in eo sermone, quem
Corinthi habitum, tribus libris exponit, doctorum
hominis disputantium, primo libro multos loquen-
tes facit, duobus fere orationem quendam Phthiotam
, ... inducit nihil esse omnino
... discernentem ...
animum, et hoc esse nomen totum inane;
...ac in homine inesse animum, vel animam

nec in bestia: vim q. omnem eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporis vivis aequaliter esse fusam, nec separabilem, à corpore esse, quippe nulla sit, neque quidquam nisi corpus unum et simplex, ita figuratum, ut temperatione naturae vigeat, et sentiat." (Tusc. q. lib. 1) E quibus fit, inferiora haec superioribus illis, nisi fallor, esse similia. Sed in re adeo naturae involucris tecta, et obstrusa, amplius immorari, recta non patitur ratio.

Caput Tertium

de mentis humanae facultatibus.

Restat, ut de praecipuis nostrorum viribus animorum, intelligendi nempe recordandi, volendi que facultatibus disseramus. Atque intelligendi vis, seu intelligentia, vel intellectus, ea est mentis humanae facultas, qua abstractas, quae generales rerum formas percipimus, qua judicamus insuper, et ratiocinamur. Haec autem facultas ipsa tantum quatenus ratiocinatur, inspecta

ratio vocatur, ut optime Augustinus observat.

Objectum praeterea (sic enim Methaphisici loqui solet, et loquuntur) intelligentiae illud est omne, quod verum est; atque ideo quidquid verum res vel entium rationem habet, cujus est, ut scitis veritas propria: omne namque ens, et unum est, et verum, et bonum. Videte igitur, quam longe intelligentiae humanae materies, lateque pateat. Consulto autem, quid perceptio sit hoc loco praetereo; quid etiam judicium, quid ratiocinatio, ob id, quod jam pridem omnia haec plus forte, quam semel dictaverim.

Scitote tamen eximios esse philosofos, qui judicium a dubio, et opinione sic distinctum vellint, atque diversum, ut illud sit perspicua relationis idearum perceptio, obscura nullave dubium; ex una tandem minus, quam altera ex parte dubia, et obscura, opinio. Quo circa nos, inquiunt, judicare, cum totum esse quavis sui parte majus percipimus: Dubitare autem, cum stellae pares ne sint numero, an impares cogitamus: cum

rum opinari, cum ex. c. non esse locum in rebus inanem, aut corpora esse omnia gravitate dotata, aut quidpiam his simile, quod nempe vero videatur simile, cognoscimus.

Scite praeterea, sentiendi facultatem eam esse, qua motionum in nervis à rebus externis factarum, aut intus nostro in corpore causis existentibus excitantur, conscii reddimur. Ex quo fit ut duo in sensatione reperiantur, corporis unum, alterum mentis. Ad corpus irritatio quaedam telae expansio nervosae, sine qua nulla in nobis sensatio est, attingit. Haec nempe tela ita est omnium instrumentum sensationum, ut oculus visus, aures auditus. Quapropter, ea laesa, aut partim, aut penitus sensationes, aut debilitantur, aut cessant. Sin autem relaxetur haec ipsa de qua loquimur, membrana, vel tunica, quod alto in somno illo, torporeve, qui Lethargus dicitur, accidit; statim, ut fiunt, evanescunt. Et haec corpus attingunt. Animi vero doloris perceptio-

et voluptatis sunt. Et sensus præterea cognitione irritatio-
nis corporeæ ab objectis rebus inducenda re causis in ner-
vosa parte membrana.

Imaginanti præterea vim eam esse sciatis qua cor-
poreas formas nobis representamus variæque permis-
cemus, augemus etiam, aut minuimus, quasq. in corpo-
re corporis formis, vel imaginibus nobimetipsis ex-
hibemus, et quasi depingimus. Eam Græci vocant
phantasiam. Nam sensationes quod vos latere non
debet omnes, quædam in nobis sui vestigia relinqu-
unt (quæ cum sint) quorum ope perceptiones de-
inde habere possimus eardem luminis verbi causa,
coloris, sonorum, figurarum, cæterorum, etiam
hisce rebus absentibus, modo alio quidem tempore
sensibus fuerint objectæ. Has autem perceptiones,
imaginationes Methafisici vocant, Ex quibus
quid inter intelligendi sentiendi imaginandi
que facultates intersit, id satis me apperuisse
arbitror sequi.

Memoria insuper ea est vis mentis,

qua rursus illa percipimus quę alias perceperamus; sed-
ita tamen, ut nobis conscii simus, ea ipsa, à nobis ante
fuisse percepta. Si namque antecedentis sensus percep-
tionis desint, actia illa dici non potest recordatio nec
ut Metafisici vocant, reminiscentia. Quod in loco facul-
tatem, et facultatis actionem solenter notate. Memoria
siquidem illa est quam proxime diximus, facultas. Ejus
autem actio reminiscentia nuncupatur: quę ita defi-
nitur, ut sit, mentis actus rem alias perceptam iterum
percipientis, cum sensu, conscientiave, rem illam ip-
sam a se alias fuisse perceptam.

Unicuique deinde reminiscentiae vel potius re-
cordationi preteritę sensum perceptionis inesse clara
et intima sua quisq.e conscientia persentit. Unde aut.m
sensus ejusmodi exoriatur, dificile nimis dictu est hancq.e
ipsi filosofi dificultatem expedire se non posse fatentur.
Et merito quidem. Nam nec ad cerebri vestigiis, quę post sen-
sationem supersunt in cerebro manat; ob id quia hęc licet sa-
tis sint, ut eandem exitent perceptionem, non tamen sufi-
ciunt, ut sensum et ut ita dicam animadvertentiam
antecedentis perceptionis in qua reminiscentia maxime

posita est, dicunt. Nec vero repetatur, mentem agnoscere vestigia illa nova non esse, sed vetera, nam id asserere est nihil, quod in rem cadat, dicere, unum idemque est. Rogo namque, quibus signis, mens illud agnoscat. Sunt, qui sensum illum, quemadmodum doloris et voluptatis a Deo proxime repetendum existiment. Multi namque alii alia multa, argumentum rei difficillimae, et inexplicabilis longe clarissimum. Atqui de memoria, et recordatione quidquid opportunum nobis est visum dictavimus. Ad intelligentiam, quae nobilior est adhuc mentis facultas, quam memoria sit, si tamen haec distincta ab intelligentia, dedeamus et idearum, sive perceptionum originem naturamque vestigemus. Quia quidem disputatione perfecta, voluntatem, quaeque ipsam attingunt, omnia rimari, atque explicari tentavimus.

Quod ita precari Deum Op. Max. eo tempore soleo, unde rebus dicere norunt per obspicuis, ut menti perspicacitatem, mi autem elo

quentiam velit effundere; id nunc potissime optan-
dum esse video; qui de quaestione intellectu diffici-
le, explicatu difficillima, diremptu difficiliore
tractationem instituam, auditores. Humanarum
enim idearum, naturam, ortumque vestigo; quo an
alius in philosophia occultior, spinosiorve locus esse
possit ignoro. Hunc autem tandiu in absconditis
fore judico, quamdiu modus ille prorsus mirificus,
et inexplicabilis, quo corpori annexus est animus
fit animal rationis particeps nescietur. Cum
enim nihil aliud, quam ratione utens ~~animal~~
~~rationis particeps~~ animal, homo ipse sit; nemo
tamen inter homines si congius audiendus sit, (et
dignus quidem est, quem audiamus) Augustinus,
reperiri posse videtur, qui nexum ejusmodi consequi
possit intelligendo. Quo circa propositis philosophorum
sententiis, ac erroribus quorumdam confutatis;
probabilius, veroque similius ducere, ita sequar, nihil
ut affirmare videar; sed pro uno quoque, non secus
ac pro re nimis scopulosa, et quasi velis quibusdam

obducta, dubitanter opinando quę proponent.

Ac idea quidem, quae Graecum est vocabulum, ab Εἴδω, latine video, ductum; id exprimit, quo ad dignoscendum, vel imitandum aliquid, intueri oportet. Ex quo fit, ut quod Graeci vocant εἰδέαν, id speciem Latini, exemplar, vel imaginem appellare debeant. At philosophis tamen id est idea, quod menti adest percipienti; estque rei, aut existentis, aut potentia existens, imago quaedam, et forma, in qua res ipsa a mente cognoscitur. Nam cum et res extra mentem constitutae nostram, in illam penetrare nequeant; et mens nisi in semetipsa nihil intelligat; quippe quae actiones sibi insitę sint, ac immanentes, ut effluere nequeant ad externa, formę quędam rerum, et imagines menti oportet adsint, quas ut res ipsas intelligat, intueatur. Perspicua hęc sunt inter philosophos et notissima.

Illud attamen valde dubium, sint ne ideę perceptiones ipsae; an imagines quędam rerum, vel formę, ut a rebus ipsis, sic a perceptionibus

discrepantes. Hobetianis idem esse utraque videntur. At perceptiones, omnesque cogitationes sola cerebri partium actione, et, ut ajunt, reactione, quod vos non latet, contineri defendunt. Quod quidem mentis naturam evertit; et alias à nobis tamquam impium rationique, ac fidei divinæ contrarium, promissum est.

Arnaldus, quem recentiorum plerosque philosofonum secutus, et Criticorum, ejus libelli, qui cogitandi ars inscribitur, auctorem habeo; solius mentis actiones esse ideas putat: eoque adeo, nihil a perceptionibus illas res, sed cogitatione tantum interesse: ut, ut, quæ mentis actio, ad mentem ipsam relata perceptio dicitur, eadem objectio collata rebus, quas exhibet, ideæ nomen accipiat. Arnaldo multi assentiuntur Philosofonum!

Scholastici deinde, Wolffiusque duo idearum genera ponunt, materialium unum, alterum intellectualium: hic enim eorum est sermo. Illas autem, quas et phantasmata

vocant, motiones esse in cerebro; organisque

sensuum factæ, has vero perceptiones ipsas, quæ

phantasticas menti ideas representent existi-

mant. Cuivis tandem materiali intellectua-

lem respondere ideam; et versa vice. Impres-

sam præterea vocant ideam Scholastici, vel

speciem, quæ materialis est idea, quæ vero

intellectualis expressam ideam vel speciem.

Superest Malebranchius, cui cum

alii succini Genuensis, intellectuales conten-

dere ideas, sic a perceptionibus interesse, ut

illas spiritales rerum imagines, hæ mentis

actiones sint, quibus imagines illæ ipsæ cer-

nuntur, et conferuntur. Quod ita sibi videtur

conficere. Si perceptiones nihil ab ideis discre-

pent, aut mentes suarum esse cogitationum

subjectum mere, ut ajunt, passivum, aut

omnes eam sibi creare ideas fieri: nam

vel ideas [illegible] excipit, vel contra. Fac, ut

illas excipiat. Cum ideæ perceptiones ipsæ sint,

ideoque omnes mentis cogitationes pariter sint mentis actiones; has ipsas excipiet; erit q. non activum suarum cogitationum principium, sed iners tantum subjectum, in quo alterius efficientis causae actione recipiantur: atque adeo mens vivens esset, neque magis mens, quam later crudus aliquis, quam cera, argillave, similium cuivis aptum figurae suscipiendae. Sin autem ideas non excipiat, ipsas efficiet; ideoque suarum erit idearum creatrix, quod est absurdius et a vero remotius. Sunt namque ideae, ut nosmetipsi ultro fatemur, existentium rerum possibiliumve formae, ob idque objectivam, ut loquuntur, rerum ipsarum continent realitatem. Si ergo mens ideas sibi creare potest; ante omnes ideas objectivam eorum realitatem continere debet, quorum est ideas elicitura: aliter enim effectus sufficientem sine ratione, quod esse nequit, statueretur. Atqui ejusmodi realitates ipsae sunt ideae. Ante omnes igitur ideas, eas

mens continere in se debet, quod est loqui pugnan-
tia. Nec vero res illas quarum dicit ideas in mente
contineri virtute eminenter se objiciatur. Esset
enim mens tunc aut Deus ipse, aut ipsius Dei pars
quo spinosissimus, ut patet, ipse est.

Gravia hec esse fateor argumenta; sed
non ea, quibus Malebranchio Genuensive, aut
aliis, qui ita sentiunt assentiri cogamur. Equi-
dem sic ideas arbitror concipiendas, velut formas
aut exemplaria que menti objecta, res exhi-
beant, aut existentes, aut potentes existere.
Cumque nullius, rei perceptio fieri possit, nisi
intima intelligentis principii conjunctione
sive cum rebus intelligendis sive cum imagi-
nibus earum quibusdam, aut formis; ejusmodi
esse oportet imagines, ideas, species aut formas
quibus cum mens ut intelligat conjuga-
tur; ne aut agentem illum Arabum intellec-
tum, qui toti sit naturae conditae insitus, veli-
mus admittere aut quod deterius multo est, cum

cum Pythagoreorum nonnullis, Spinosaque quaeri,- mentem nostram Deum esse ipsum, Deive partem per universam rerum naturam diffusum et commeantem.

Sed neque usum illud animo cerno cur res ipsas percipiendo, mens illarum nequeat formas, vel ideas cudere: cur ve perceptio intellectę rei non ipsa sit idea, vel imago. Nec vero quę res percipiunt,[x] eas in mente virtute contineri, fit; sed earum tantum imagines: cum has non illas mens efficiat intelligendo. Quod si cui multum, mirumque videbitur; nos ad Dei similitudinem factos, et imaginem esse meminerit. Deinde suarum mentem idearum effectricem esse causam, simulque subjectum illarum recipiens, nihil obest omnino. sunt enim immanentes ejus actiones, obidque in ipso, unde derivantur principio recipi debent. Nec etiam ideas mens propterea creat; nisi- quod è subjecto aliquo, ut fiat, ut sit, et conservetur, pendet; creatione productum esse dicatur, quod dixit hactenus

Philosoforum nemo: sunt namque mentis modifi cationes omnes ideae, sic e mente ipsa, ut e subjecto, tiones omnes ideae, sic è mente ipsa, ut è subjecto pendentes. Quid, quod si illa valeant, voluntates à mente creatae dici, et haberi deberent; cum idem sit idearum, qui voluntatum omnium terminus, mens scilicet modificata! aut ergo opus est mentem li vis creatrix, ut suas efficiat voluntates, quod nemo eorum mentis affirmet; aut tali non esset virtute, suas ut ideas fingat. Et hoc quidem arbitror probabilius, iterum et iterum inire est uerio.

Fateor enim dico iterum, et iterum fateor gravia me opposite argumenta sententiae putare, ejusque vero similitudine ut fere hac in re dubius plane haeream, et incertus. Sed illud certe mi rabile, modestissimum nempe virum Malebranchium intelligo, sic in adversam inventum esse acriter opinionem, ut eam chimeram, et et meminet, innanitatem, et ignorantiam. Ejus hac de re verba latine scripta ne me superlatione usum putetis, accipite. Ista

„inquit, participatio, potentiæ divinæ, quam sibi arrogant
„homines, ut res objectas sibi representare, multasque
„alias actiones speciales patrare possint; participatio
„hæc, quæ nos a deo non omnino dependere videtur in-
„nuere: ut saltem illa participatio explicari solet.
„Verum sincere loquendo, illa participatio chimerica
„est merum ignorantiæ, et vanitatis humanæ figmen-
„tum. (lib. de inquis. verit. cap 3) Illud nihilominus
nus hic vos meminisse oportebit, quod in libro
de rerum causis exposui, nihil minus Deo res esse
subjectas atque eo ipso pendere, cum habeant efficiendi
sibi a Deo ipso concessam; quam si Deus omnia
illarum opera unus efficeret. Mens ergo ho-
minis cum fingendarum vim idearum a Deo acce-
perit, nec, nisi Deo ipso comite et adjutore, illas
valeat ipsas efficere, prorsus est suo semper auctori
subjecta, eo ipsoque ad omnia penitus pendens. Sed
his obiter notatis, et explicatis, ad originem aggre-
dior idearum.

Qua in re permira est philosophorum dissensio.

Praecipuae igitur sententiae in arctum collectae sic se habent. Menti esse insitas rerum ideas quibusdam censent; sed non id omnino ipsorum quibusdam cum aliis constat. Nam qui mentes ante corpora extitisse putarunt, scilicet Platonici, illi aeternas et subsistentes rerum ideas omnium, divina in mente contineri dixere: quas deinde Deus ipse cum minoribus diis, hoc est, cum Coelestibus Dei ministris, ac nuntiis, verbo Daemonibus seu geniis, nec non humanis cum mentibus participaret. Omnes igitur ingenitas esse ideas menti contendebant. Huc accedit Leibnitius, qui totius rerum universitatis ideam hominum animis statim, ut conduntur, insculpi, ut ita dicam, arbitratur: quod jam inde a Phisicis didicistis.

E Peripateticis Arabes, Mauriq. nonnulli fuere, quibus mens ideas suas omnes in semetipsa sic habere visa est; ut a rebus extrinsecus positis, excitarentur. Albertus

deinde Magnus eo quidem humanas menti
rerum ideas posuit ingenitas; at illis numquam
per errorem uti, donec corpori annexa est. Avi-
cennæ sententia fuit, ut spirituales rerum ideæ
in separatis intelligentiis præexisterent, quas
prima in secundam imprimeret, secunda in
tertiam, et ita deinceps, usque ad postremam,
quam intellectum vocat agentem, et à qua in
hominum animos ideas derivari, commentus est.
Sanctum videte Thomam, qui prima summae
Theologicæ parte, quæstione autem 84, quinto
etiam articulo errorem hunc invicte con-
futat.

At vero Cartesianorum multi non
omnes quidem ideas insitas habent, aut innatas,
sed quasdam solummodo, ut Dei, entis, subs-
tantiæ, ipsarumque pronuntiatorum notiones. Car-
tesius autem ipse, aliique perpauci, Deum
ex corporearum occasione notionum, earum
rerum, quas oportet, mens nostra percipiat, ideas

eadem in mente efficere putant.

Sequitur Malebranchius, qui mentem nostram Deo uniri essentialiter sibi persuasit, in eoque ipso omnia percipere. Ad hunc autem modum vir philosophus fatur clarissimus. Rerum omnium rationes continentur in Deo. Mens autem nostra essentialiter conjuncta est Deitati; et quidem arctius, quam ipsi, quod animat, corpori: haec siquidem unio nequaquam est essentialis, ideoque nihil menti, ea rupta unione, detrahitur; cum contra suprema illa conjunctione remota, mens statim in nihilum cadat. Fieri ergo nequit, ut non ipso in Deo quaecumque intelligit, videat.

Praetereo Deum non esse longe ab unoquoque nostrum, cum in ipso vivere nos, moveri, et esse; Deum docere hominem scientiam; patrem esse luminum: philosophiae quae illi etiam manifestare; veram esse lucem, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: unum esse hominum magistrum, qui in Caelis est.

Deum spiritu afflati sancto, sancti Dei homines constat, ut cuique perspicuum est.

Cum nihil per sensum hominem docere, nec nisi à Deo, qui intus in corde loquitur, quempiam doceri, asserit Augustinus. Deum esse intelligibilem lucem, quo, et à quo, et per quem intelligibiliter lucent omnia sanctissimus ille ipse Pater mille in locis affirmat. E quibus satis arbitror declaratum, ut eorum, quos memoravi philosophorum plerique nullam potius aliquas tantum ideas efficiendi facultatem menti concedant.

Reliqui contra suas omnes ideas à mente pingi nituntur sic ut nulla fieri queat, nisi quibusdam sensuum, cerebrique motibus ante positis. Sed in hoc quoque variant multa. Wolfius namque et Arnaldus tametsi diversis ductis rationibus, mentem tamen putant, antecedentibus sensuum cerebrique motionibus, objectis a rebus factis, ideas rebus ipsis, quas intelligit consentaneas in semetipsa describere.

Scholastici deinde omnes sic habent pro-

suarum, nihil esse intellectu, quod prius non fuerit in sensibus. Quod non ita assentiunt, ut ideas putent rerum simulacra esse, quæ per sensus mentem ingrediantur; sed sic, ut sensuum motibus, ab externis rebus factis, corporeæ quædam fiant in cerebro imagines, quas et phantasmata, et species impressas ipsi vocant; è quibus vi intellectus agentis species exeant intelligibiles, quas ipsi vocant expressas, quæque sunt, ut ipsi putant, proximum passivi intellectus objectum.

Duos enim philosophi isti intellectus distinguunt, agentem unum, quo omnia fiunt intelligibilia; alterum passivum, quo intellecta redduntur. At neque de agentis intellectus natura, neque de modo agendi convenit sectatoribus inter ipsos Aristotelis commentatores. Nam Arabibus fere omnibus intellectus agens substantia quædam est intellectrix, ab hominum mente distincta, unaque in cunctis hominibus. Aliis, ut Alexandro Aphrodiseo Cajetano Zarabellæ, intellectus ille ipse nihil

cum Deo discrepat. Nec desunt Arabes, qui animu[m] duabus, ex partibus inter se distinctis, tamquam ex materia et forma constare dicant: sic, ut materia passivus, sit intellectus, forma vero ille alius, qui ab illis dicitur agens.

Nostri autem scholastici utrumque intellectum vim esse unius, ejusdemq[ue] mentis, fatentur, nec alterum ab altero, tamquam rem a re esse distinctum; sed ut ejusdem rei vim, vim a vi facultatem a facultate: quę sane distinctio quibusdam eorum realis est, formalis aliis, partim rationis solummodo. De officiis autem intellectus agentis sunt, qui cum in phantasmata solum agere putant, ea scilicet illuminando, et, ut ipsi loquuntur, spiritualizando, intelligibiliaque reddendo. Alii praeter hoc, id etiam illi tribuunt intellectui, et ex phantasmatibus intelligibiles exuat species, quas passivo communicet intellectui. Iam alii et illuminare phantasmata, et his spiritualem quamdam formam imprimere, ut intelligi

possint intellectus ejusmodi munia esse defendunt.

Sequitur Lokius, qui omnes ideas a sensibus,
meditatione conjecturaque oriri arbitratur. At in-
ter haec ipsa angulus hic nihil a cerebri motionibus
ideas distinguere videtur. Democritum et Epicurum
pretereo, qui a rebus corporeas quasdam facies, quas
idola vocabant advolare somniarunt: quae per sen-
sus ad cerebrum progressae omnium essent cogitatio-
num materia.

Haec quidem sunt de idearum ortu precipua
philosoforum decreta; quae ad quatuor omnino sum-
ma capita referuntur. Primum, ut mens nullas quae
at ideas fingere: quippe aut in Deo cuncta videat;
aut ideas habeat sibi a Deo insitas, intellectu ve
agentes; vel ex corporearum occasione motionum
Deus ipsas menti ideas indat. Alterum, ut Dei-
quidem, pronuntiatorumque ideas, et similes
nequeat, at possit tamen adventitias efficere
tertium ut omnes quidem suas mens eliciat
ideas; sed in id specie quadam intelligibili

determinetur. Quantum, ut omnes quidem efficiat; nec nisi ab ipsis directa.

Nullo enim loco Democriti, atque Epicuri sententiam numero, tamquam intimo sensui mentisque, et corporum naturæ contrariam. Sentit enim quilibet se plura novisse, quæ nullis possunt idolis repræsentari, ut Deum, mentem, virtutem, cætera ejusmodi. Deinde fieri nequit, ut, cum tot a rebus corporeis perpetuo abolent simulacra; non jam pridem in nihilum occiderint corpora. Neque vero simulacra corporea animum ingredi in corporeum valent; nec, etsi mens corporea esset sententia illa, vel amentia valeret: nequirent enim idola corporea corpoream etiam mentem pervadere. At nulla sit cogitatio, nisi intima intercedente cognoscentis cum cognitio conjunctione. De Lokio tandem si perceptiones, et visa ut videtur, unum idemque putat; — cognitionem ut perspicuum est omnem tollit è medio; atq. ideo fere nihil ab Epicureis differre videtur.

Atque sententiarum exposita varietate, ex

rorumque quorundam restat, ut quid ego sentiam, quibus

que de causis, aperiam. Sic igitur habeo, hac in re tria

esse vero simillima reliquorum. Mentem scilicet

suas omnes ideas fingere; à visis tantum, quoad

annexa est, ut id prestet, determinari; qui tandem

determinetur, incertum.

Mens enim suas omnes efficit perception.

Hæ autem nihil cum ideis, ut ante confecimus, dis-

crepant. Omnes igitur suas mens ideas fingit. Mens

prettrea suas omnes efficit voluntates. Et ideas igitur

suas omnes. Hae namque, ut illæ, nihil aliud sunt,

quam equidem animi modificationes: quæ nisi ab illo

fiant, sed ab alia factas excipiat; nihil magis mens

sit, quam ceræ verbi causa frustum, in quo sigilla

quedam in nullo impressa sint. Quam gravis, opor-

tunaque ratio Augustini! quamvis prius, inquit,

videamus aliquod corpus, quod antea non videram;

at deinde incipiat imago ejus esse in spiritu nostro

qua illud, cum absens fuerit, recordemur; tamen

eandem ejus imaginem non corpus sine spiritu

sed ipse spiritus in se ipso facit celeritate mirabili, quae ineffabiliter longe est a corporis tarditate, ejus imago mox, ut oculis visum fuerit in spiritu videntis, nullius puncti temporis interpositione, formatur. (lib 12 sup. Gen. n. 33. vel c. 16.)

Cum si menti Deus vim intelligendi concessit ipsa per semetipsam dubio procul intelligit. Quid enim aliud est intelligere, nisi rem intelligentem in intellectam, sic ut diam transformari? mens igitur, intelligendo, seipsam omnia quodammodo facit, ut preclare scriptum est ab Aristotele. Atqui hoc, nisi suas omnes ideas fingat, esse non potest. Eas igitur profecto fingit. Quid quod ut nulla Deus objecta in occulis possuit ob id quia eos ad videndum aptos effecit; sic nullas menti rerum ideas vel efigies inseruit quipe quam cognoscendorum omnium facultatem ※※※※※※※※※※※※※※※※※※※※※ donavit. Quid.

quod idea est nulli menti innata? nam vel idem sunt idea, et perceptio, vel secus; sint idem: tot menti erunt ideæ, quot res potest illa percipere. Hæc autem sunt infin.te finita ergo mens idearum in se complectetur infinitatem. At differant: quamvis ipsa mens habere potest perceptionem ne ipsa habet, quod ipsa universi quis conscientia refellimus; quin etiam omnia immensa, et perpetuo augescere; siquidem ideas ... insitas omnium habeat. ... idea menti sunt insitæ: sed quarundam solum rerum ideæ menti sunt insitæ. Sed id idearum ortum explicat nullomodo. Unde namque, quæ innatæ non sunt, repetuntur? a Deo ne! sed cur illas invenit ... sentim, cum via sit illa iam facilis? a sensu lione, et meditatione respondetur? nulla certe est idea, quin inde valeat proficisci. Quid cum ita sit, quidnam innatas fingere aliquas, ac innatas?

Hoc vero ideam cedo, quæ a sensu neque at, et meditatione descendere. Nam, ut a Dei

notione incipiam, quis mundum cernens Deum esse non sentiat, ut Hylarius dissenit! (in Ps. 52) Quis rei illud Apostoli in dubium revocabit, invisibilia Dei, per ea quae facta sunt, intellecta conspicit! Deum ergo ex praeclarissimo mundi ordine, pulchritudine, motuque perspicue cognoscimus: nullaque propterea ejus est idea nobis innata. An entis substantiae unitatis, veritatis, bonitatis, numerorum, proportionis, virtutis, et vitii abstractaeque omnes ideae innatae sunt? Nihil est opus. Illae enim omnes abstractionis ope, vel praecisionis, ex sensibilium ideis rerum eliciuntur. Mens etenim, plurimis in rebus corporeis idem aliquod cernens disseminatum; illud, caeteris neglectis affectionibus, quas si colligit, quo generalem efficiat ideam, omnibus rebus illis communem. Sic in Sole, Luna, reliquis Sideribus; in Petro, etiam, in Paulo, ceteris hominibus; adde in belluis, in plantis, metalis, rebus tandem singulis corporatis, re vera esse singula deprehendens,

noléns q^d affectiones earum reliquas attendere, nec tempo
ris, loci, figuræ, aliave adjuncta spectare, quibus ea
interere discerum: illam tamen entis rationem om-
nibus communem effinget, quo generalis, abstracta quæ
entis idea, quæ in rebus ipsis minime reperitur, effor
mat. Similiter, ne multis, abstractas reliquas men-
ideas conflat. Prima autem scientiarum principia
ex idearum collatione ipsarum proficiscuntur. —
Quam ob rem nequeunt innata haberi.

Neque probabilior, puto, eorum est philoso
phorum opinio, qui Deum putant ... sensuum, ...
quæ motionum ocasione ideas perpetuo nostris in
animis fingere. Quid enim, cum hæc pronuntiamus,
innuere Disquiramus. Deum ... perceptiones in
nobis omnes eficere? hoc si velint, haud est illis
mens substantia intelligens; cum non est ...
num eficiens cogitationum causa. An ne spiri-
tales rerum formas menti communicare? Sed
quorsum sensus dati sunt nobis? certe illud, ut
sensus discerit ... formas, nexum animi et corpori

prorsus abrumpit. Deus enim mentem corpori sensibus ornato, conjunxit; ut ipso ad suos actus, prout oportuerit, uteretur. Quid, quod si illa vera sunt: etiam earum ideas nexum Deus nobis inseruerit, quarum causa in ejus legem sanctissimam conci tamur.

Restat Malebranchius, cujus argumenta valde arbitror imbecilla. Mens, inquit, est Deo conjuncta. Quero tamen ex illo quidnam istud est? mentis ne substantiam divinæ cum substantia; an unius cum alterius substantiæ actionibus esse conjunctas? Illud, nisi mens Deus sit, Deive pars, aut modificatio, esse nequit profecto. Hoc autem nihil est aliud, nisi mentem Deo uniri, ob id quia Divini Luminis, et idearum communicatione omnia cognoscit: quod est quidem innotum ex innoto concludere, petere, ut dici solet, principium. Deinde duplex est quidpiam in aliquo videndi modus, ut ex sancto Thoma didiscimus: unus scilicet, velut in objecto cognito, ut imagines in speculis

conspiciuntur); altera velut in lumine, aut princi-
pio, ut in axiomatibus conclusiones cernuntur.

Jam primo modo mens nequit omnia in
Deo videre, quin ipsum videat Deum, sitque propterea
quod est perfalsum beata. Mens enim nec Deum
videt, neque miseriis, donec corpus animat est im-
munis. Illo ergo pacto nequit omnia in Deo cognos-
cere. Altero autem modo, divini nempe luminis,
hoc est, naturalis ope rationis omnia nos in Deo
videre, certum est, nec ullus hominum negat.

Testimoniis abutitur Malebranchius, absit
verbo invidia. Deum enim hominum mentes illu-
minare, scripta docent divina. Esto; quid tamen?
illud sic accipiendum existimo, ut ratio, quae men-
tis quasi lumen est, a Deo facta sit, et conserve-
tur; hancque naturalem hominis lucem Deus ipse
revelatione perficiat: quod est in sacris, cur divi-
na lex lucerna ante pedes ardens, revelatio
autem lumen in tenebroso lucens loco, Christus

denique dominus, lux, via, veritasque dicatur. In verbis autem Augustinianis plus est intelligendum relinquit, quam ipsa per verba significetur. Quod est ut nominant Rhetores, emphasis. Deum itaque omnium esse rationes, non ita sumendum, quasi nulla, nisi divina ratio subsistat; sed ejusmodi, ut sine Deo ratio possit nulla subsistere. Illud interea ejusdem Augustini preceptum teneat Malebranchius; nullius hominis autoritati assentiendum, nisi quatenus aut divina is autoritate, aut probabili naturae ratione nitatur. Quare cum, et ejus, quod tuemur satis, ut remur, probabiles rationes attulerimus; et imparia esse contrariis in partibus momenta videantur: dubitabitis, auditores, quin humanę menti vis adsit suarum eliciens idearum?

Jam vero mentem, ut suas eliciat ideas à vissis, donec corpus animat, determinari, concludo. Mens ad nullam est ideam producendam

ex semetipsa determinata. Atqui vim omnem potentiamve ab objectis determinari una est philosoforum omnium consensio. Mens igitur ab objectis, ut cogitet, determinatur. Quare assumo hoc modo: objecta autem mentis, dum hec corpus animat, visa sunt; cum rerum externarum, que mentem ingredi nequeunt, viam gerant phantasmata. Hec ergo mentem determinant, ut hanc potius, quam illam eliciat cognitionem. Omnis ittaque idea, donec vivimus ê sensibus pendet; sed non tamen omnes uniusmodi. Eorum namque, que subjecta sunt sensibus, idee proxime a visis oriuntur; remote vero incorporeorum notiones, que à primis tamen illis proxime manant. Incorporea namquè per semetipsa numquam menti proxime objiciuntur. Qui autem spiritualium rerum idee ex corporearum notionibus educantur supra exposuimus.

Verum scholasticos tantisper audiamus oportet. Que sunt, inquiunt, corporea, ut phantas

mata} mentem determinare non possunt, quę spiritus est: quapropter est opus, ut illa agens illuminet intellectus, et quasi spiritualicet, ut actu, quę, a passivo percibiantur intellectu, reddantur. At absolevit, adolecenter, jam oratio istaeç invictis, ut arbitror, rationibus confutata. Ut enim visa, quantumvis corporea, intellectum agentem determinant incorporeum, ut illa reddat intellectilia; quidni et valeant mentem ipsam, ut ideas eliceat, determinare? nulli ergo sunt usui intellectus ille duplex, et species impressae.

Venio ad modum, quo presentibus in cerebro visis, ideas mens suas illico elicit. Hic, inquam, modus incertus est. Nam nihil in mente efficere visa possunt, neve spiritale, neve corporeum. Spiritale namque à visis, quę corporea sunt, nihil oriri potest, ut patet. Nihil addo corporeum. Esse namque mens qui corporei subjectum, quod cum mens nostra spiritus sit, esse nequit. Quare mentem, patet suas omnes fingere ideas, in id à visis, determinari,

quinam vero ab illis determinetur incertum est.

At mens, inquit, aliquis, priusquam ideas elicit, resne ipsas scit, an ignorat? Scit? inutiles ergo ideae atque ideo earum fingendarum potestas. Ignorat? qui tandem ignotae rei cudat imaginem? omnino ergo vi ideas efficiendi mens caret. Verum haecce responsio perfacilis. Nescit quidem animus rem, cujus nullam adhuc ideam fecit: at sic sua est comparatus natura, ut simul ac quidpiam ipsi vel per se, vel per ejus speciem illius quamdam imaginem adsit; statim formam, aut ideam cudat: quod est id ipsum, quod ad est percipere. Urgeat tamen hoc modo: ut ejus ex. c. animalis, quod viderit numquam imaginem poterit ullam pictor, quamtumvis peritus efficere; sic rei nullius ideam animus cudat, modo rem ipsam ante non intellexerit. Quod si res jam menti sit nota, ejus ideam certe habebat. Quorsum ergo vis ideas efficiendi sit menti? Sed, quid res inter se diversae pent allatae, accipite. Ut rei quispiam alicujus pingat imaginem, illius oportet habeat cognitionem, quae

quod manus per sese nequeunt, prestet: hoc est eas in iconis effectione dirigerere. Vt vero quidpiam cognoscatur, modo et vis habeatur inteligens, et ejus, quod est intelligendum, vel in se, vel in alio principio cognoscenti presentia; preterea requiritur nihil. Sic ut lignum ignis aduxat, ejus vis sufficit aduxendi, et ligni, quod est in se versurus, accesio. Vt quidpiam speculum aliquod representet, ejus satis est vis representatrix, reique exhibende presentia. At enim si mens ideas cudat, res eficiet mundo hocce aspectabili perfectiores: prestant enim spiritalia corporeis. Vellum! spiritales, concedo, sunt idee; at modi: corpora vero substantie. Est autem modo quovis substantia quelibet prestabilior. Atque de intelligentia, que hactenus explicuimus satis sunto.

De voluntate autem docere mihi restat precipua. Id ergo à primo notandum, quemadmodum mens nostra, quatenus potest sine visis cognoscere, intelligentia vocatur; quatenus visa

rum ope atingere absentia, phantasia; sensus denique quatenus præsentia quit corpora immuta tionum ope sensuum intelligere; sic etiam prout bona potest apetere, aut mala aversari, quæ sen sum percipit ministerio, apetitum dici senti endum; prout vero bona quit sequi, aut mala refugere eos ratione, ac intelligentia voluntas tem. Atque duas in nobis appetendi facultates antiqui distinxere philosofi, animalem, unam; alteram rationis participem: quarum illam deinde inconcupiscibilem, et irascibilem, sic enim loquebantur, diviserunt. Vis appetens animalis bruta est, ideoque omnem rationis usum, et consultationis præcedit; non omnem tamen per ceptionem, cum ignoti nulla cupido, apetitus re movere possit. Eos illa insuper illi nascuntur mo tus, qui vocantur afectus: amor scilicet, odium desiderium, fuga, gaudium, et tristitia, qui ad concupiscibilem omnes attinent portionem; quem admodum ad irascibilem spes, desperatio, timor,

audatia, ira denique, quę contrarium nescit affectum. Neque vero quidpiam aliud affectus sunt, quam varii concupiscentię, scandescentię q. modi. Omnes è boni mali ve perceptione nascuntur: sic ut, qui è boni opinione procedunt, concupiscentiae, qui vero è mali notione oriuntur, scandescentia contineantur. Et necessario quidem oriuntur ex objectis animo boni, mali ve ideis. Vt enim optime Beatus disserit Thomas, appetitus animalis consequitur formam aprehensam, id est, rei, seu bonę, seu malę habitam perceptionem. (p. p. q. 68 art. 1)

Omnes tandem affectus peculiares modi sunt generalis in bonum propensionis, à malo que aversionis, quâ animal prorsus omne naturaliter commovetur. Itaque quemadmodum è naturę nostrę constitutione inclinatio illa nascitur, et aversio; sic et affectus omnis. Scilicet cum generalis in bonum inclinatio à particularibus praesentibus, futuris ve,

boni varié, ut ita dicam, modificatur, determinatur que; illa exoritur affectuum clavis, qui è boni opinione nascuntur. Pariter naturalis à malo aversio varié à peculiaribus determinata malis, seu præsentia mala sint, seu futura; aliarum efficit genus effectũm, qui à mali opinioné proficiscuntur.

At voluntas, non bruttis est, sed rationalis, ut dicitur, appetitus, obediens q. libertati. Trianam que distinguenda hic sunt, vis nempe quædam activa, hance vim moderandi potestas, motiva q. ut dicitur, aliqua, quibus vis illa ipsa determinata, ad hoc potius, quam ad illud flectatur. Atque in esse vim nobis quamdam nos met ipsos in bonum generaliter inclinantem, ideoqué actuosam, et efficientem, sua quisque nostrum conscientia prævenit. Cum autem vis ejusdemmodi non in omnes simul partes esse possit determinata; et modo huc, modo illuc, ut experimur, inclinetur, hoc est, nunc hoc in bonum, nunc in illud feratur; vis opus est alia, illius moderans, atque regens, et motiva præterea nonnulla, quibus

generalis vis in bonum propendens, hanc potius quam in illam flectatur partem, hoc potius, quam illud bonum prosequatur. Cujus quidem potestatis moderatricis conscii quoque sumus; cum nec animi nostri, nec corporis vires unum ad modum determinatae sint; sed à nobis, quo volumus, determinentur, et dirigantur. Quod nos aliquibus ducti motivis, praestamus, vel causis. Nam vero motiva haec aut rationes sunt, aut passiones. Quare cum vis efficiens illa passione determinatur, hoc est, aut externarum vi actioneque rerum, aut interna aliqua nostri corporis commotione, necesaria est, ac mecanica vis; at cum ratione regitur, juditioque nostro, libera. Ex quo fit, ut questio de hominis libertate huc reddeat tota. Determinetur ne semper homo passione, an propria nonnumquam ratione, pro priore juditio. Primum enim si stabit, actum de libertate. Sin secundum, ut re vera stat, libertate gaudemus. Atque horum trium, quae diximus activam vim potestatem voluntatem, vero illius

moderatricem libertatem vocamus. Est namque libertas, (nam voluntatem reliquimus definitam) mentis potestas, qua eligere quidpiam, aut fugere è boni, vel mali ratione, atque adeo proprio ex judicio, et voluntate valemus.

Ecce autem graduum multitudo, varietasque, hac in re intercedens. Primum enim è singulis boni malive perceptionibus, quas bona, malave repręsentata voco; totidem nervosa in tela corporis, qua pręcipua animalis vita consistit, oriuntur irritationes, ęquę intensę remissęve, atque illę ipsę, à quibus nascuntur perceptiones. Deinde ex hisce irritationibus cientur in animo doloris sensus aut voluptatis, eadem videlicet intentione vel remissione, qua irritationes illę ipsę sunt. A doloris insuper, voluptatisve sensu appetitus semper, ac necessario excitatur in nobis, vehementior ille quidem, aut segnior, prout doloris commotiones, aut voluptatis validiores fuerint, aut debiliores. Hos jam appetitus, si libertas, quę sępe compes

cere valet, sequatur, modo illi a regula honestatis aberrent; continget, ut adversum rationem agat, ideoque perperam operetur: quod est videre meliora, probumque, sequi vero deteriora; seu legem sensuum legi mentis prævalere.

Continere me nequeo, quin explicationem libertatis Malebranchianam, quæ per multum continet pulcritudinis, et utilitatis exponam. Ut ergo libertatem humanæ mentis explicet Malebranchius, exemplum materiæ, vel corporis adhibet, quod ipsa cum mente confert hoc modo. Ut materiae, extentionis ve (idem quippe sunt illi) duæ sunt facultates, alia nempe varias recipiendi figuras, alia varios suscipiendi motus; sic mens nostra duabus est prædita facultatibus, scilicet intellectu, qui facultas est multas ideas recipiendi, et voluntate, facultate ve multas accipiendi inclinationes. Duo præterea figurarum genera potest extensio suscipere, in ternarum unum, alterum externarum. Exterior namque corporis terminus ab illo figura

vocatur, externa vero figura; propria autem singularum cujuslibet corporis particularum figura, configuratio, internave figura. Ager mens pariter duo idearum genera suscipit, quarum aliæ, quod extra nos, aliæ, quod in nobis est repræsentant. Quare illæ corporis figuræ, hæ vero configurationi comparantur ab illo. Atque utraque facultas, sive qua materia varias et figuras recipit, et figurationes; sive qua mens varias recipit externorum, internorumve ideas; merè passiva illi est; nullam prorsus actionem includant.

Ad aliam veniens materiæ facultatem extentionisve Malebranchius, ut hæc multis [illegible] accipiendis motibus apta est, sic mentem multis suscipiendi inclinationibus putat idoneam. Deinde quemadmodum omnium materiæ motuum, sic omnium mentem inclinationum eandem causam esse Deum, naturæ totius auctorem: ut qui motus omnes, recta linea, suamet natura ducuntur, nisi ab externis, peculiaribusque causis determinati, in lineas

abeant circulares; sic omnes, quas a Deo accepi-
mus propensiones, rectas quidem esse, et ad bonum
verumque tendere, nisi ipsius naturę impulsus,
inclinatio, propensio, à causa aliqua peregrina
malos in fines flectatur. At id tamen impres-
sio ~~propensio, à causa aliqua peregrina malos
in fines flectatur. At id tamen impressio~~ a Deo
facta materię ab impressione menti facta inter-
esse, quod materia actionis omnis est expers,
ut motum nequeat sibi inditum sistere, aut de-
terminare, seu huc vel illuc deflectere: cum
motus ejus recta semper linea fiat, quam si
extrinsecus cogatur invertere, circularem,
quam potest maximam, materia sequitur,
hoc est, lineam ejusmodi affectet, atque descri-
bat, quę ad rectam proxime accedit: propterea
quod Deus, et ei motum impressit, et motus de-
terminationem ipse met regat. Mens atamen
nostra ex se ipsa agit quodam modo, inclinatio-
nem q. sibi a Deo impressam, varie determinando

vim habet. Nequit profecto inclinationem ejusmodi impressionem se sistere; quare necessario mens tendit in bonum: at determinare illam ad nutum potest. Unde voluntatis vocabulo impressionem illam intelligit, seu motum, quo ad bonum indeterminatum, et universale ferimur. Libertatis autem nomine nihil aliud, quam vim illam qua mens pollet, impressionem generalem illam versus res, nobis arridentes, deflectendi, hocque pacto efficiendi, ut inclinationes nostrae naturales in universale bonum, quod Deus est, quippe qui bona in se cuncta possideat, vago quodam indeterminatoque motu ante tendentes, his potius bonis, quam illis particularibus adhaereant. At vero illa vis, qua voluntas pollet, inclinationes suas, quo placet illi, illud determinare, quae ipsa est libertas; vim ferendi intellectum, versus ea, quae sibi arrident bona particularia, necessaria complectitur: nec enim voluntas impressionem, qua in bonum fertur, varie determinare potest, nisi prius intellectum jusserit, speciale sibi bonum aliquod exhibere, quod quidem imperium

libertatis est.

Exemplo totam speciosa rem patefacit Malebranchius. Dignitatem inquit, quamlibet, velut bonum quod sperare potest, suo sibi animo quispiam proponat. Statim voluntas ejus bonum illud, propterea, quia bonum est, vult: hoc est, impressio, quam mens habet, ut perpetuo indeterminatum versus bonum moveatur, mentem hominis illius versus illam ipsam dignitatem impelli. Cum autem dignitas hæcce universale bonum non sit, nec ut universale bonum à mente putetur; impressio, qua in bonum natura ferimur, singulari bono isto omnino non sistitur; sed menti adhuc superest impetus, quo ulterius progrediatur: ideoque amor, quo illam versus ~~versus illam versus~~ dignitatem animus fertur, quoniam neu necessarius est, neu invictus, liber quidem est, non necessarius. (lib. 1º de inq. v. c. 1º)

Quibus expositis, mentem nostram esse quidem liberam dico, sed certos quosdam suæ terminos libertatis:

tatis; quod ita concludo. Libertas enim est, ut exposui-
mus, mentis facultas, qua mens ipsa ex propria
boni vel mali ratione, juditiove lubens non in vi-
ta operatur, qua apetitiones, impetusque concupis-
cibilis, et irascibilis moderatur, nunc inhibens, nunc
frena laxans, huc tandem illuc eos inflectens:
quæ sane omnia nemo unus hominum nescit.
Permulta autem sunt, quæ ex propria, boni vel ma-
li ratione, nec inviti agimus, sed lubenter: appe-
titus etiam sæpissime commovemus, commotos im-
pellimus, impulsos premimus, flectimus, moderamur;
ut nemo sibi non est conscius. Est igitur menti nos-
træ libertas. Sunt attamen nonnulla, ut alterum con-
ficiam propositionis membrum, quæ inviti patimur:
alia, quæ animi imperio non subsunt, id que non
modo in corpore, sed in mente: tum alia, quibus po-
tentia nostra non sufficit obtinendis. Nam quoties
appetitus mechanica vi quadam subito erumpunt?
quoties ita furunt, et debacantur, ut rationem occupent
omnem? quoties sic existunt, persistuntque contu-

macer, ut nullas vellint mentis avenas audire? Quoties tandem ea nancisci non possumus, quę habemus; aut ea carere, declinare ve, quę odio habemus, nequimus? sunt ergò quam plurima, quę rationis nostrę subjecta rectioni non sunt: Atque adeo quae libertati non subsunt. Nulla namque ibi est libertas, ubi ratio est nulla; minor ubi debilior; perfectissima denique, ubi valde perfecta ratio reperitur: cum libere operari non sit, ex appetitu, animi ve perturbatione agere; sed ex ratione, juditio, voluntate, lubentia. Quid enim est, ut ait Tullius, libertas? "Potestas vivendi, ut velis." (Parad. 5,)

Mens deinde humana libera est á coactione, ut loqui amant Philosophi. Hanc enim res illa libertatem habet, quę extrinseca praesus nulla ad operandum rapitur causa. Nulla autem ejusmodi causa homo rapitur ad agendum; quippe qui nulli, uo in Ontologia docuimus, homo ullus fato subjicitur. Est mens igitur nostra

cohationis immunis.

Est præterea a naturæ necessitate libera. Quæ namque res non sua est natura, ut agat, unius in modum determinata ejus libertatis est particeps, ut non à natura ipsa sua ad agendum necesario rapiatur. Talis autem est hominum mens: cum á bonis, malisve representatis ad agendum determinetur: ratione scilicet, et Conscientia, quarum activas nec mechanica est, nec necesaria, si felicitatis et miseriæ generalem exemeritis appetitum, et aversionem: bonorum namque malorumque perceptiones variæ sunt, baixæ, et mutabiles. Motivis ergo nec mecanicis, nec necesariis, nec unius in modum agentibus mens determinatur humana. Est igitur á naturæ necessitate libera. Quod quidem libertatis genus libertas vocatur indiferentiæ; propterea quia eo valeat, ut quidpiam velle, aut non velle possimus, hocque velle, vel illud: scilicet Petrum v. c. amare, vel non amare, diligere, vel odisse. Libertas autem

hæc ad opposita, duplex, ut patet, est; alia qua quidpiam agere possimus, vel omitere, amare v. g. vel amorem omittere, quæ contradictioni vocatur, aut exercitii, alia qua actus elicere quimus spe-cie diversos, specificationis q.ᵉ dicitur. Quæ si actus contrarii erunt, ut amare, et odisse contrarieta-tis appellatur libertas; sin autem nullum inter se actus habeant ordinem, ut amare, vel legere; studere, vel incedere libertas disparitatis.

At objiciunt libertatis hostes argumentum, quod sic se habet. Voluntatis actus ab apetitionibus exoriuntur; appetitiones autem â naturæ irri-tationibus manant, irritationes denique ab ex-ternorum actione objectorum ideisq.ᵉ irritan-tibus. Age vero irritationes naturæ, ejusque appetitiones necessariæ sunt. Et voluntatis igit.ʳ, quæ inde procedunt, necessariæ sint, necesse est. Nullius ergo ullus est homo particeps liberta-tis. Et ecce vobis, juvenes, argumentum, quo mirum in modum triunfare se putant—

adversarii: at nullo me negotio responsurum confido. Nam aut voluntas, qua de homines loquuntur appetitus nomine venit intelligenda; aut actionis ejus, qui probat, qui eligit, qui rejicit, verbo, qui imperat. Jam voluntas appetitus, a corporis irritatione, ideis ve irritantibus proficiscitur; persæpe etiam necessaria est, quippe quæ raro, aut certe in nostra constituta est potestate. At voluntas vero illa alia, quae aprobatio est, vel electio, approbantis ve, seu eligentis hominis actio, libertatis est actus, ejus ve facultatis, quam dicere recte possumus electricem. Hæc autem semper est libera, quin obsit actio illius in hanc; cum illa infinita nequeat actione operari, sed prorsus finita.

Quod ut clarius intelligatur, humanam scitote mentem, ob id quia est ad beatitudinem facta, necessario amore beatitudinis rapi; ideoque illud tantum bonum necessario prosequi caritate, quod et sumptum

est, et clare ab illa perceptum. Solum namque ejusmodi bonum, et ita cognitum, illud mentis desiderium beatitudinis valet explere: reliqua vero bona, cum finitæ sint, ut ita dicam, intensitatis, nequeunt mentis amorem necessario extorquere; sed consultationi locum semper relinquunt, propterea que electioni. Atque in hac consultandi facultate finitorum naturam bonorum, infinitique ipsius boni, obscure scilicet congniti, quæ homini, dum hanc vitam degit sancta, tectaque est indiferentiæ libertatem Beatissimi collocant Augustinus, et Thom.

Ex his igitur patet, cur in amando Deo beatæ mentes liberæ neutiquam sint; nostræ autem dum hic vivimus, hocce liberte fruantur. Illud etiam fit, fontem libertatis à cohactione, in eo situm esse, quod proxima, quibus electrix se facultas determinat, motiva non mechanici sint impetus, sed boni vel mali notiones ad rationis tribunal adductæ, ibique consultæ, vestigatæ, discussæ. Fontem vero libertatis

indiferentiæ, qua quidpiam agere possumus, vel omitere, esse imperfectionem, sive realem, ut ajunt; sive ut pariter loquuntur, idealem bonorum, malorumve mediorum, super quorum electione, vel fuga consulere integrum mentis est, donec vita suppetit homini; quæ namque inde electio, vel fuga nascatur, necessario esse non poterit.

Hæc de hominum animis, quæ disserere-mus habuimus, auditores, id jam vero restabat, quod ad morum institutionem spectat, ut et profectui esset vestrum, et amori erga vos meum, et ipsi denique philosophiæ, satisfactum. At ingruens nobis anni tempus elapso veris gravissimum prohibet, ne, quod mihi semper in optatis fuise cognoscitis, moralem doceam disciplinam: quo totus sane meus trienni labor et opera pertinebat. Neque vero pedetentim ibimus, sedato quoque nissu, sed sitis modo gressibus, alias cursibus modo volatibus. Fuit atamen

anni duntaxat, quod sepius dixi, nimis est breve circumscriptum philosophię curriculum: plures certo tribus est opus, si partes quidem ejus tradendę ac discendę sint omnes. Vos autem nec diutius hic morari ęquo valetis animo; nec si possetis quidem, ac velitis, annuerem. Nam si insipientis esset hominis, et vę cordis, quempiam iter aestuosa, pulverulentaque via conficere, cum vitare id perfacile potuisset, pati vel cogere: quem illum putaretis preceptorem vocandum, qui talia ingenuos, gratissimos, optimos, longo denique litterarum studio defessos in discipulos puteretur? - Ergo tempus tandem adfuit, juvenes, quo per me vobis abs me perpetua liceret, imo oporteret, discessione concedere. Vestram quidem sine reversione doleo, ac mœreo profectionem: at nihil me de moribus dictavisse, non est quidem certe, cur doleam. Qui namque cum per multa hactenus ex variis, ac egregiis, et scriptis, et viris morum pręcepta, et consilia hausêre; tum mores, aut

sortiti natura sunt, aut adepti, aut utrumque potius honestissimos: quidnam hisce plura tradere documenta de moribus attinebat? quare id pretermissum, non est dolendum: discessum vero libenti equoque ferre non possum. Careant etenim sociis socius, amicis amicus, familiaribus familiaris, alumnis altor, invitis scilicet invitus, et semper: nam et ii mihi, discipuli, fuistis; et cum me in vos ego ipse mihi videor prestitisse. Quid jam vero de sale, quid de facetiis, juvenes, vestris adjiciam; quarum ego saepe cum anxio solicitoque animo essem, vel una cogitatione mirabiliter reficiebar? vestrum et candorem pretereo maximum, ac docilitatem, et singularem in benevolentia, et fidelitate constantiam: quorum vos omnium signa verbis, sententiis, scriptis, vultu, muneribus, collacrymatione perspicua et iterata dedistis. Assiduitas autem gymnasii vestra, sedulitas in studiis, in disputationibus moderatio, in signis tandem

nedum inter vos cum domesticis ve scholasticis, et urbanis, sed cum alienis etiam, duriusculis, et mordacibus comitas, et humanitas, Academiae, Hispalique toti notissima. Quae sane vestra sunt omnia: mea solummodo philosophica scripta, quae opus multi mihi sudoris fuisse fateor, et laboris, profectûs vestri gratia susceptum: quo nonnulla interdum accessere consilia, precesque pro vestra incolumitate, ac felicitate perpetua. Hic mea in vos merita cuncta vertuntur, non amoris certe inopiâ, sed facultatis. At vestra in me plurima, discipuli, benefacta. Nam quod est in me eruditionis, et et scientiae (quidquid illud revera sit) quod honoris, et nominis, quod minus incomodae valetudinis, id acceptum refero benevolentiae vestrae; Ecclesiasticos addite reditus, aprobationem, et sacerdotium. Precationum vestrarum fructus illa sunt omnia sanctarum: quare meritam vobis gratiam justis honoribus, et memori -

mente persolvam. Jam vero, quo pertinet acer-
bus rerum hic, et copia verborum? hei mihi!
heu me infelicem! heu juvenes flos, discipuli,
amicique omnium suavissimi! haec re sum
jocatus, an serio locutus? non illa otiosi-
alicujus autoris calamistra, non joca, vel ludi;
at seria sunt omnia, at gravia, at vera. Re-
ceditis profecto, receditis, nec iterum reversu-
ri: atque me simul abeunt deliciae, solatiaque
consueta. Acta res est, mea vobis cum inte-
riit necessitudo. Non post hac, quamque gradiar,
sive ad scholam descendam, sive ad templum,
sive in littore ambulem, sive in tribunalibus,
sive reddeam domum, vobis, ut solebat, estipatus
incedam. Hunccine dolorem? hanc orbitatem?
hanccine absentiam? O temporum varietates!
O dierum, o mensium, annorumque volubilitas,
atque rerum vicissitudines terrenarum? Tum
tu, si fas est, obsecrare abste, Sancte Pater,

Deus, inquam, optime, ac immutabilis, quod quovis in genere in discipulos peccare me reperis (erunt autem ah multa) id mihi, quæ tua est bonitatis infinitas, illorum votis et supplicationibus delinitus ignosce. Vos etiam, discipuli, quod molestiæ quod acerbitatis, quod detrimenti, quod injuriarum vobis umquam intullerim condonaturos ire confido. Valite igitur mea pignora, et, quoniam fructum vestræ jucundissimæ consuetudinis careo; per ego vos Deum, per vestram erga me mihi perspectissimam benevolentiam, per quæcumque discipulos jura devinciunt præceptoribus, oro, et quæso; ut memoriæ,

ut fidelitatis pluximos colli.

gam, et uberrimos-

faciatis. 228

=

ELEMENTA PHILOSOPH.

TOM. II.